BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
1 M
23

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XXVI. 1. 3/2

Digitized by Google

CLAUDII DAUSQUII
CAN. TORNACENSIS
TERRA, ET AQUA,
SEU
TERRÆ FLVTANTES.



PARISIIS,
Apud FREDERICUM LEONARD Typographum
Regis, & Cleri Gallicani, viâ Jacobæâ
ſub Signo Scuti Veneti.

M. DC. LXXVII.

Digitized by Google

ALEXANDRI AUCUPIS
IN DUOS
CLAUDII DAUSQUII
DE TERRA ET AQUA
LIBROS
PRÆFATIO.

ACCIPE, LECTOR, hoc Opus per ſeipſum commendabile: Opus ſanè elaboratum, & curioſitati valdè commodum. In paucis multa complectitur, aut adhuc intacta, aut minori cum diligentia enucleata. In ipſo invenies aliquid quod & mentem inſtruat, & ſenſus delectet. Author ita philoſophatur, ut omnia quaſi ad praxim redigere videatur. Hoc eſt illud Philoſophiæ genus hodie tam exquiſitum, tam excultum; cujus ope præcipua Philoſophiæ pars plus ſentitur, quàm diſcitur, & experientiâ magis conſtat quàm ſer-

ā

mone. Hæc eſt via nuper inventa, quâ & ſuavi cum labore docetur, & tenaciori cum memoria conſervatur ſemel diſcita Philoſophia.

Ad hunc autem ſcopum te, LECTOR, facilè ducent hi duo tractatus doctiſſimi Dauſquii, viri acris utique ingenii, laboris, ut aiunt, improbi, in criticis locupletiſſimi, & apud Authores tam ſacros quàm prophanos verſatiſſimi: cum enim de rebus facti diſſerat; cùm plurimos eventus in diverſis orbis partibus ſcrutetur è ſcriptoribus fide dignis, nullus eſt Philoſophiæ modernæ æmulus, qui hos Tractatus legere & perlegere, & multos alios hujus indaginis habere non ambiat, in quibus quaſi ad manum porrigere queat quidquid experientiâ doceri poteſt de duobus inter quatuor elementa præcipuis.

Hæc, LECTOR, ſi non ſufficiant, & aliquid, ut æquum eſt, multo ampliùs deſideres, ipſum Authorem conſule. Ex eo tanquam è profundiſſimo fonte haurire poteris quidquid adhuc Philoſophia aut leviter attigerit, aut experimento edocere neglexerit de Terra & Aqua.

Digitized by Google

SYLLABUS

CAPUT I.

PRoluſio. Miræ rerum mutationes. pag. 1.

II.

Tellus inſula pendula. Modi : Rotunditas , Motio, Harmonia , Vis inſita , Deus. 15.

III.

Secundo Capiti lux major. Major termini. — 30.

IV.

Terra moveat, an quieſcat ? Tota olim Terra undique aquis tecta. Terra punctus. 32.

Antiquiſſimæ Symplegades , Planctæ , Plotæ , Cyaneæ. Planaria, Planeſia, Strophades. Cyaneæ an fuerint ? Quid fuerint ? Ubi ? Ubi Montes natarint ſedes ? An extare deſierint Cyaneæ ? 39.

VI.

Delos Aſteria , Aſteris, Ortygia, Cynthia, Lagia, Chlamydia, Cynæthum , Pyrpile , Anaphe. Delos navit , ſtetit , peninſula fuit. Apollo Ægletes. 59.

VII.

Orchomenius lacus. Characia , Plotia arundo. Characometes. Arundo Indica. Photia cur ſubtilior. Vineæ characatæ. Exſpatians lacus. [illegible] Orchomenium , atque in Ægypto maximæ in quibus atri. 72.

VIII.

Chemmis. Ab Herodoto diſſenſum. Chemmi nante nat ſilva , nat templum. 76.

Syllabus.

IX.

Nat Cutiliarum inſula. Aura impellitur. In ea arbuſculæ. Commotia nympha. 77.

X.

Movent Saltuares, ſeu Lydiæ. Conto, cantuve actæ inſulæ. Duæ inſulæ nemora circumvectant. 74.

XI.

Vadimonis lacus fluctuatur apud Plinios. Propter Patavium ad Aponum Terra flutat. 84.

XII.

In Germania, & alibi terræ plures cum ſilvis movent. Olivetum ubi mutarit ſedes. Inſula nata inter utramque ripam, utrius habitantis erit? Urbium tranſmotio, montiumque. 87.

XIII.

Salſulæ nant in Gallia. Ad Morinos propter Aam plurimæ flutant inſulæ. Carolum V. Philippum II. (quantos heroas!) Albertum Auſtriacum, poſt Iſabellam Claram Eugeniam miraculi hujus illecebra invitavit. 93.

XIV.

Inſulæ nantes in tractu Bolonienſi, in Britannia, India, Hiſpania. 101.

XV.

Terrarum nantium cauſæ. Princeps Numen. Chriſtus aquis inambulans. 106.

XVI.

Nantium Terrarum cauſa altera, Radicium perplexitas. 109.

XVII.

Tertia cauſa, Terræ indoles. Lateres nant in Pithana, in Hiſpania. Maſſia. Calentum. Lydiæ cur natent. Ebenus cur mergatur. Σομφὸν *quid.* 111.

Digitized by Google

XVIII.

Quarta cauſa, Aquæ gravitas. Iterum lateres denſi, terrulenti flutant, aliaq; gravia. Quædam altius. In Aſphaltite nihil mergitur. Joſephus emendatior. Κωφότης, Γομφότης. 117.

LIBRI II.

CAPUT I.

Tigris Thoſpitæ, cui innat, non miſcetur, non Arſaniæ fluvio, quem ſuſtinet. Thonitis lacus. Priſcianus correctior. 123.

II.

Titareſius Peneo illabitur impermiſtus. Eurotas, Eurotus. 127.

III.

Alpheus an mari innet, an ſubter: an aquas miſceat. 130.

IV.

Rhodanus cui miſceatur aquæ, cui non. Arna. Braſiliæ fluvius argenteus. 142.

V.

Cauſa prima cur aliis alia influant flumina imperturbata. Characometes. Aquæ oleaginoſæ. Antipatia 11. *Cauſa.* 148.

VI.

Tertia cauſa, Levitas, & Ponderitas aquarum. Boryſthenes, Hypanis, Choaſpes. Clepſydræ cur hieme tardius demittant aquam. Levitatis aquæ ſigna. Caſaubonus examinatus. 153.

VII.

Quarta cauſa, Rapiditas Fluminum. Tigris eſt ſagitta. Padus non miſcetur mari. Ἐποστρακισμός. 158.

VIII.

De dulcedine Aquæ marinæ.

Maria multa dulcia. Atlanticum, Chelidoniæ inſulæ, Aradus, Gaditanum, quod & in Pontum tranſmeat, Caſpium, Hyrcanium, Mæotis palus, Pontus, Propontis. In Pontum ex Aſia, Europaque plurimi evadunt fluvii: imprimis Tanais, ac Danubius. Contra Priſciani opinionem & aliorum, Ponticum mare reapſe dulce eſt. Etiam è mari quovis hauſtus aquæ dulcis licet. 162.

IX.

Piſces Foſſiles non inveniri tradunt Mela, Juvenalis: Livius, & Jul. Scaliger inſinuant. Aliter ſentiunt Empedocles, Ariſtoteles, Theophraſtus, Strabo, Athenæus, Polybius, Plinius, Seneca, Goropius, Mokius: Dionyſius ab Areopago inſinuat. 185.

X.

Sal terræ ubi locorum. Salis terreſtris Vis, Uſus. 199.

IX.

Utrum Sicilia cum Italia uniter juncta unquam fuerit? an poſt diſcreta? 218.

XII.

Atlanticam an undæ voraverint. 244.

XIII.

Varia Fontium, varia Fluviorum ingenia. 254.

CLAUD.

CLAVDI DAVSQVI SANCTOMARI CAN. TOR.

TERRA, ET AQVA, SEV *TERRAE FLVTANTES.*

CAPVT PRIMVM.

Proluſio ad Lectorem. In ea variae rerum mutationes.

PHERECYDES Syrius omnium principium *Terram* poſuit: Thales Mileſius *Aquam*. Iuſtinus Martyr παραινέσει de Thale Mileſio: Ἐξ ὕδατος γάρ φησι τὰ πάντα εἶναι, καὶ εἰς ὕδωρ ἀναλύεσθαι τὰ πάντα: *Ex aqua oriri omnia, & in aquam reſolui adſerit.* Coniectura primum hac vtitur, quod omnium ani-

mantium ſemen ſit humidum : deinde quod plantae omnes alantur humido, fructificent, fruticentque: tum quod humidi expertia illico exareſcant. *Ex aqua omnia conſtare* dixit Thales apud Tullium lib. 4. Acad. Senecam lib. 3. Natur. quaeſtion. Anaſtaſius Sinaïta eundem funiculum trahit: Τὸ ὕδωρ ἐποίησεν ὁ Θεὸς, καὶ αὐτὸ ζωοποιὸν τῶν σωμάτων, καὶ τῶν σπερμάτων, καὶ πάσης πνοῆς τυγχάνον: *Aquam fecit Deus, & ipſam corpora, ſeminaque viuificantem, & cuiuſuis ſpiritus potentem.* In prima Sanctorum monimentorum tabula piſces ex Aqua, volucres ex Aqua nant: de Terra emergunt caetera. Xenophanes eandem biberat doctrinam, cuius eſt:

Πάντες γὰρ γαίης τε, καὶ ὕδατος ἐκγενόμεσθα.

Ex Vnda, ex Tellure ſati progignimur omnes.

Nos in eadem principia ſolutos redigebat illo Homeri:

—— Πάντες ὕδωρ, καὶ γαῖα γένησθε.

Sapientum iſtorum opiniones teſtatiſſimae ſunt ex Sex. Empirico lib. 3. 6. 8. contra Mathematicos, Plutarcho de Placitis Philoſophorum, Diogene in Vitis, Seneca in qq. Naturalib. Ariſtotele paſſim, quorum teſtimonia in re manifeſta, ſi conferam, abutar otio. Sapientiae ſacrae effatum eſt: *Omnes*

velut

velut aquae in terram dilabimur. Epicharmus ſcripti laudandus, cum libris ſuis Titulum poſuit: ΓΑ ΚΑΙ ΘΑΛΑΣΣΑ, quod varijs in libris memorat Athenaeus. Hoc eſt, TERRA, ET MARE. Foetum enim naturae miraculis eſt mare: atque *ex tota rerum natura damnoſiſsimum mare eſt*, inquit Plinius lib. 9. c. 34. Archimedes item Mathematicorum princeps ſcripſit περὶ τῶν ὀχουμένων, *De ijs quae vehuntur.* Strabo quoque τῆς τῶν ὀχουμένων πραγματείας libro quintodecimo meminit. Nos & Archimedem, & Epicharmum quadantenus ſecuti *Terram, & Aquam* ſcribimus, & *Terram in Aqua* vehi, & alia grauia. Ergo

Rara, nec ingenijs ſatis explorata priorum,
Quaeque diu latuere, canam. Iuuat ire per vndas;
Vnda feret terras, & inertia pondera ſident
In fluuijs, lacubuſque; ſoloq́; natabitur vnda.
Vnda feret terras: ſpatioſa vagabitur arbos:
Stabitq́; attonitus, veluti Iouis ignibus ictus,
Qui ſiluas ſtanteſque, vagaſque videbit in vnda.
Abruptam tandem credes radicibus iſſe
Ortygiam, & latos vndis decurrere campos:
Ponderis & lateres, & ſaxa oblita prioris
Fluctibus in ſummis haut toto corpore mergi.
Sinceros fluuios fluuijs innare videbis.

Pluribus inque locis guſtabitur vnda marina.
Gangama de terris, de ſaxis malleus imis
Extundet piſces, ac de tellure petitus
Sal varia varias implebit frugibus oras,
Exacuet venerem, domibus faſtigia ponet.
An vis Sicelidem Italiae diſcreuit ab ora?
Vaſtaue diluuio vaſto iacet obruta Atlantis?
Dein quibus ingenijs fluuij, fonteſque liqueſcant.

Haec ſumma. Haec vero cum fiunt, non abit a ſe natura: res enim mundi de ſuo ſtatu, cum ita viſum, demouet, mutatque rerum aedificator, ac parens Deus. *Adſpice ad Palaeſtinam, qua Iordanis amnis finium arbiter, vaſtitas ingens, & orba regio, & fruſtra ager eſt, & vrbes retro, & populi frequentes, & ſolus audiebat.* Apponit iſta deinde Tertullianus de Pallio: *Dehinc vt Deus cenſor eſſet, impietas ignium meruit imbres. Hactenus Sodoma, & nulla Gomorrha, & cinis omnia, & propinquitas maris iuxta cum ſolo mortem bibit.* Repetita quoque ſaepius diluuie terrarum dorſa cooperta ſunt: vrbes, & inſanae ſubſtructiones abſtractae, ac euaſtatae. Mundum & bella diuexant, & magnam vbique mutationem inuehunt:

Ouid. *Iam ſeges eſt, vbi Troia fuit, reſecandaq; falce*
Luxuriat Phrygio ſanguine pinguis humus.

Semi-

Semiſepulta virum curuis feriuntur aratris
Oßa, ruinoſas occulit herba domos.

Adeo pertenue veſtigium eſt, ac nullum vrbis populoſae, ac famoſiſſimae priſci iudicio ſcriptoris. Procidunt haec, & quaſi exhalata vaneſcunt: emergunt alia, petuntque faſtigium.

Hic vbi nunc Roma eſt orbis caput, arbor, & herba, Faſt. 5.
Et paucae pecudes, & caſa rara fuit.

Neque minori mutabilitati ſibi natura patet. Ecce lubricum, fluxumque ab ingenio elementum *Aqua* βαρύτε, ϗ κατωφερὲς, εὐδιάχυτον Ioan. Damaſceno deſcribente, minimoque ſubſidens ponduſculo a ſuis veluti recedens legibus & terras inſidentes mobiles ſuſtinet, & arbores, aliaque grauia, quae paſſim ruri, aut in hortulis fixa, aut ſita. Miraculum auget, quod Terra ſuapte indole centri ſit appetens: quae appetentia cum in aquis planis, velut in campis ſedet, elangueſcere, coërceri, vel exſtingui videtur. Seſſio igitur Terrae in Aqua, aut mobilitas cum vtriuſque elementi pugnet ingenio, non deerunt, qui Terras vllibi in Aquae gremio quieſcere, aut agi, ferriue, perſuaderi ſe iure merito non ſinant: ij maxime, qui oculis metiuntur omnia: & hos inter, quibus nihil tale viſum. At ij, ſi non vno eodemque modo vbique agere naturam, agique

Digitized by Google

perſpexerint, aequius de ſententia depelli ſe patientur. Etenim aridam hodie eſſe, quam olim maris alluuio vndarum aequore obtexerit, confeſſa res eſt, ac manifeſta, tam ex Manilio, quam ex alijs. Manilius lib. 4. naturae variantis imaginem exprimit aliquam:

Eſt aequale nihil: terrenos adſpice tractus,
Et maris, & notis fugientia flumina ripis:
Crimen vbique frequens, & laudi noxia iuncta eſt.
Sic ſterilis terris laetis interuenit annus,
Ac ſubito rumpit paruo diſcrimine foetus.
Et modo portus erat pelagi iam facta charybdis,
Laudatiq; cadit poſt paulum gratia ponti.
Et nunc per ſcopulos, nunc campos labitur amnis.
Sic etiam coeli partes variantur in aſtris.

Charybdis hoc loco eſt χάσμα θαλάσσης, ἢ καταιγίς, vt Heſychius exponit.

Chemmim inſulam nare Antiquitatis narrator, ac prope parens negitat Herodotus: inſulas, terraſue alias nullas flutantes praeter eas, quae ad Aam fluuium propter Audomaropolim Arteſiae famigeratae viſuntur dictat Simon Ogerius Siluarum conditor: vterque quod non viderint, neque exacte ſatis id exploratum habuerint. Pro Symplega.

Digitized by Google

plegadum, ſiue Cyanearum concurſu ſtat Antiquitas: declinant nonnulli, Poſteritas ſtupet, neque fidem praecipitat. Valgarnera ne credat, rerum mutationes in vniuerſo inficiatur, ratus omnia ire curſu ſtabili: montes, valles, campos, fluuios iam eſſe, vti a mundi primordio ſunt conſtituta, cenſet: nec mundiali diluuio, nec tempeſtatum vi, nec vetuſtate, nec fortuitu, nec conſilio res mutaſſe. Tales aliorum ſecuri opiniones ſuas euoluunt: at quid opinentur alij, quaeue alienarum ſint opinionum fundamenta, vel firmamenta, curatum oportuit: accurationis huiuſce partes nobis depoſcimus. Ac primum aevo, bellis, inuentis humanis, tempeſtatibus, fortuitis caſibus, naturae vi, rerum ingenijs frequentem variantiam rebus inuectam arbitramur.

Conchulas, arenas, buccinas, calculos varie infectos, frequenti ſolo, quibuſdam etiam in montibus reperiri, certum ſignum maris alluuione eos coopertos locos volunt Herodotus, Plato, Strabo, Seneca, Tertullianus, Plutarchus Ouidius, alij Goropius nouitatis commendator, ſui admirator totum iſtud Auctorum agmen diſturbat, & quod illi pro certo habuere perſuaſiſſimū, incertat. Conchulas, aliaq. errantis per eos locos maris veſtigia delet: coeli, ſiderumq. impreſ-

impreſſionibus, & locorum, terrarumque ingenijs ea tribuit: Idemne dicet,

Si vetus inuenta eſt in montibus ancora ſummis?

(Hoc Tomitanae canit non nouus incola terrae) Non opinor. Nam illo ancora qua fini, quibus vſibus ſit importata? Ancoram quis tam ſublime ſuſtulit? quis eius ſuccollatu membris fatigationem quaeſiuit? An cum fuiſſet aequa ſoli facies, vorticoſis vndarum turbinibus abſciſſa pars, & ſparſa deſedit in valles adiutante ſpiritu ex ingentibus terrarum voratrinis ſeſe effundente, omniaque diſſipante? an ea ratione reliqua ſoli facies in montis morem reſtitit, & quae olim diruptis rudentibus proiecta fuerat ancora tandem non inuenta reperta eſt? Ita poteſt. Meliori coniectori damus manus. Ea ratio ardua fluitaſſe probat, ac mare ſeceſſionem feciſſe.

Non vſque diſſimilia narrat Diodorus Bibliothecae lib. 4. vbi res ab Hercule geſtas illuſtrat, ſolertia humana, & manuali opera perfici poſſe tale quid euidenter oſtendit: Φασὶ τὰς ἄκρας ἀμφοτέρας ἐπὶ πολὺ προσχῶσαι· διὸ καὶ πρότερον διεστηκύας ἀπ' ἀλλήλων πολὺ διάστημα, συναγαγεῖν τὸν πόρον εἰς στενόν, ὅπως ἀλιτενοῦς, καὶ στενοῦ γενομένου κωλύηται τὰ μεγάλα κήτη διεκπίπτειν ἐκ τοῦ ὠκεανοῦ πρὸς τὴν ἔνδον θάλατταν... ὡς δέ τινές φασιν τοὐναντίον τῶν

ἠπείρων

Digitized by Google

ἠπείρων ἀμφοτέρων συνεζευγμένων διασκάψαι ταύτας, καὶ τὸν πόρον ἀνοίξαντα. ποιῆσαι τὸν ὠκεανὸν μίσγεσθαι τῇ καθ' ἡμᾶς θαλάττῃ.
Docet his quanam ratione Columnas illas ſuas nobiles commolitus ſit Hercules. Interpretis os: Hercules enim cum extremas vtriuſque continentis (Africae vtique, & Europae) oras in oceanum porrectas attigiſſet, expeditionis ſuae monimentum columnas haſce ponere decreuit. *Vt aeternam igitur operi memoriam conciliaret, promontoria vtrobiq. aggeribus per bene longum ſpatium ampliauit. Ideo cum prius longinquo inter ſe freto diſtarent, hoc ita in arctum coëgit, vt cete per fauces illas anguſtas ex oceano in mediteraneum mare amplius irrumpere vetarentur: & ſimul vt tanti ſubſtructoris gloria per omnem hominum memoriam conſeruaretur Sunt tamen qui contrarium adſeuerant, nempe coniunctas olim inter ſe continentes ab eo perfoſſas, fretoque aperto oceanum cum mari noſtro permiſtum fuiſſe.*

Ac, niſi omnem hiſtoriam deſpuimus, crebras magnaſq. rerum in orbe mutationes fateri neceſſe eſt per terras, per maris, & fluuiorum, montiumque tractus. Certe Pharus Ægyptia olim inſula, Strabonis aeuo, & ore euaſit paeninſula. Meminit eius Seneca lib. 6. Natur. qq c. 17. Homeri Scholia in 4 Odyſſ. Tyros conſimiliter Alexandri M. labore pertinaci apud Curtium, Strabonem, Ioſephum, Ouidium mutauit:

B *Flu-*

Metam. l. 15. *Fluctibus ambitae fuerant Antiſſa, Pharuſq́;*
Et Phoeniſſa Tyros, quarũ nunc inſula nulla eſt.

Ibid. *Vidi ego, quod fuerat quondam ſolidiſsima tellus,*
Eſſe fretum, vidi factas ex aequore terras.

Item: *Et procul a pelago conchae iacuere marinae,*
Et vetus inuenta eſt in montibus ancora ſummis,
Quodq́; fuit campus, vallem decurſus aquarum
Fecit, & alluuie mons eſt deductus in aequor,
Eq́; paludoſa ſiccis humus errat arenis:
Quaeq́; ſitim tulerant, ſtagnata paludibus hument.
Hic fontes natura nouos emiſit, & illic
Clauſit, & antiquis tam multa tremorib. orbis
Flumina proſiliunt, aut exſiccata reſidunt.

Sic mons Caſius puluerantibus quondam veſtigijs adibatur: poſt abundantibus, & ambientibus aquis viam Phoenicen verſus aperuit. Quod ita eſſe cur non crederem ego, qui annos ante viginti relicto Aae alueo rectum tenui, quo tendebam, curſum naui vectus ſalices ſupernante, ac ſuperante: tantis intumuerant incrementis imbres hiberni. Ariſtoteles lib. 1.

Digitized by Google

lib. 1. Meteor. cap. 14. Ὅτι οὔτε ὁ Τάναϊς ποταμός, οὔτε ὁ Νεῖλος ἀεὶ ῥεῖ, ἀλλ' ἦν ποτε ξηρὸς ὁ τόπος, ὅθεν ῥέουσι. *Quod neque Tanaïs fluuius, neque Nilus ſemper in fluxu fuit: at locus, ex quo fluunt, arebat olim.* Adſtruit de caeteris quoque fluuijs, tum de ipſo mari: Καὶ τὴν θάλατταν ἀνάγκη μεταβάλλειν ὁμοίως· τῆς δὲ θαλάσσης τὰ μὲν ἀπολιπούσης, τὰ δ' ἐπιούσης ἀεὶ φανερόν, ὅτι τῆς πάσης γῆς οὐκ ἀεὶ τὰ αὐτά, τὰ μὲν ἐστι θάλαττα, τὰ δ' ἤπειρος: *Et mare ſimiliter neceſſe eſt mutare, quod nonnullos locos deſerat, alios inuadat ſemper notum eſt. Neque terrae partes eaedem ſunt omnes, alibi mare eſt, alibi continens.* Athenaeus lib. 8. c. 2. narrat ad Apameam Phrygiae bello Mithridatico terrarum concuſſione paludes, quae prius non exſtabant, fluuios, alioſque fontes eodem patuiſſe motu, ac paruiſſe: quoſdam priores euanuiſſe. Italia cum Trinacria cohaeſit:

Diſſiluiſſe ferunt, cum protinus vtraque tellus Aen. 3.
Vna foret: venit medio vi pontus, & vndis
Heſperium Siculo latus abſcidit, aruaque, & vrbes
Litore diductas anguſto interluit aeſtu.

Noua eſt Valgarnerae, & Cluuerij opinatio negitantium Siciliae, Italiaeque diuortium hoc. Ab ijs omnis Antiquitas diuertitur. Echinadum partem

Digitized by Google

vnam limi aggeribus continenti adiectam auctores ſunt Herodotus in Euterpe, Thucydides in ſecundi libri exitu, Plin. lib. 2. c. 85. Vniuerſim Strabo lib. 9. Ἐγχωσθέντων δὲ κατὰ βάθος τῶν πόρων αὔξεσθαι λίμνας συμβαίνει μέχρι τῶν οἰκουμένων τόπων, ὥστε καὶ πόλεις καταπίνεσθαι, καὶ χώρας. Interpres: *Porro autem meatibus in imo obſtructis, euenit, vt paludes auctae ad habitata vſque loca ſe proferant: ita ſane, vt vrbes quoque, & regiones abſorbeantur.* Exemplum *Bura, & Helice abruptis locorum hiatibus deuoratae* Oroſij verbis lib. 3. c. 3. Idem tradit lib. 8. Strabo, & Ouidius Metam. 15.

Si quaeras Helicen, & Buran Achaïdas vrbes:
Inuenies ſub aquis: & adhuc oſtendere nautae
Inclinata ſolent cum moenibus oppida merſis.

Pergit Strabo eodem libro nono: Ἀνοιχθέντων δὲ τῶν αὐτῶν, ἢ ἄλλων, ἀνακαλύπτεσθαι, καὶ τοὺς αὐτοὺς τόπους ποτε μὲν πλεῖσθαι, ποτὲ δὲ πεζεύεσθαι, καὶ τὰς αὐτὰς πόλεις, ποτὲ μὲν ἐπὶ τῇ λίμνῃ, ποτὲ δὲ ἄπωθεν κεῖσθαι. *Reſeratis vero ijſdem vijs, aut alijs, recondi, eoſdemq́ꝫ locos quandoque nauigari, quandoque pedibus teri, eaſdemque vrbes modo iuxta paludem, modo remotius eſſe ſitas.* Eadem Plato, atque Ariſtoteles. Proclus in Timaeum Platonis Aegyptum profert: Αὕτη δὲ ἐπίδηλος ἔργον ἐστὶν οὖσα τοῦ ποταμοῦ. Hoc eſt: *Quod Aegyptus ipſa Nili ſit*

ſit opus, liquet. De Aegypto ſubmiſſiore ſermo eſt, quod & Seneca lib. 6. Natur. qq. c. 26. pulcerrime deſcribit: *Turbidus enim defluens Nilus, multumq́ ſecum limum trahens, & eum ſubinde apponens priorib. terris, Aegyptum annuo incremento ſemper vltra tulit. Inde pinguis, & limoſi ſoli eſt, nec vlla interualla in ſe habet: ſed creuit in ſolidum areſcente limo, quo preſſa erat, & ſedens ſtructura, cum partes glutinarentur, nec quidquam inane interuenire poterat, cum ſolido liquidum, ac molle ſemper accederet.* Idem Proclus tranſitis nõnullis: Πᾶν μέρος τῆς γῆς ἐν τῷ ἀπείρῳ θαλασσοῦσθαι, καὶ τὸν αὐτὸν τρόπον ἠπειρόντε γίνεσθαι, καὶ ἄλλοτε θάλασσαν: *Quamuis terrae continentis partem mare fieri, eodemq́ modo & continentem fieri, aliaſq́ mare.* Congerit in hoc exempla Plinius lib. 2. c. 88. ac deincipibus. Eiuſmodi rerum conuerſio Anaxagoram impulit apud Diogenem Laërtium l. 2. rogatum, An Lampſaceni montes olim forent mare, vt ſubijceret, Ἐάνγε ὁ χρόνος μὴ ἐπιλίπῃ, *Futurum id, modo ne tempus deſiat.* Ecquid porro admirabilius illo Plinij lib. 2. c. 86. *Naſcuntur alio modo terrae, ac repente in aliquo mari emergunt, veluti paria ſecum faciente natura, quaeque hauſerit hiatus, alio loco reddente.* Alibi: *Statinae motu terrae collapſae, merſaeque iterato motu emerſae.* Et luſcitioſi nullas in mundo rerum mutationes vident, legunt, agnoſcunt?

Idem Plinius lib. 31. c. 1. & 2. *in nulla parte naturae maiora eſſe miracula*, quam in aqua dictat, additque. *Quid eſſe mirabilius poteſt aquis in coelo ſtantibus? At illae ſeu parum ſit in tantam peruenire altitudinem, rapiunt eo ſecum piſcium examina. Saepe etiam lapides ſubuehunt portantes aliena pondera. Aliena:* mari, terraeque debita: non aquis coeleſtibus. Haec tam varia, aliaque naturae arcana quibuſdam incredibilia, doctis tamen cognita, prodita cognatarum narrationum fidem corroborant: praeſertim ſi naturae auctor Deus Opt. Max. in tali rerum variantia luſitare cognoſcatur. Videamus ergo, quae de terris ſuper aquas ſeſſitantibus, aut vacillantibus, aut mouentibus, aut tractis, impulſis, tranſmotiſue veteres meminere, fidem mereantur aut aliquam, aut nullam. At prius de Terrae ingenio, deque Maris dicendum finibus.

CAPVT

Digitized by Google

CAP. II.

Tellus inſula pendula. In id Auctores conglobantur. Mundus pendulus. Chryſoſtomi cauſa. Modi, quibus Tellus in medio ſuſtinetur: Rotunditas, Motio, Harmonia, Vis inſita, Deus. Barthius exploſus.

PERBELLE profecto arcanorum naturae promus condus Plinius lib. 7. c. 1. *Quam multa fieri non poſſe, priuſquam ſint facta, iudicantur? Naturae vero rerum vis, atque maieſtas in omnibus momentis fide caret; ſiquis modo partes eius, ac non totam complectatur animo.* Terram igitur totam ante terrae partes, ante fluuios perſcrutemur. An ſit ambita aquis, & aëre? An inſula? An mobilis inſula? Τὸ δὲ τῆς γῆς ἄχθος ἀπεράντοις τοῖς διαστήμασι πῶς κρέμαται; *Terrae pondus cum infinitis interſtitionibus vbi pendet?* Quaerit D. Baſilius Seleucenſis.

cenſis. Fragmen Cenſorino adiectum c. 4. *Terra omnium rerum eſt media, forma globoſa, aquis cingitur.* Plin. lib. 2. c. 66. *Eſt igitur in toto ſuo globo tellus medio ambitu praecincta circumfluo mari.* Metamorphoſi ſecunda:

Aequora celarat medias cingentia terras.

Ponit de Stoïcorum diſciplina Laërtius lib. 7. Τὴν γῆν ἐν ὕδατι εἶναι. Quare a priſcis *Inſulae* vocabulum terra ſortitur. Cicero lib. 2. de Natura D. *Qui quaſi magnam quandam inſulam incolunt; quam nos orbem terrae vocamus, etiam illis conſulant, qui partes eius inſulae tenent Europam, Aſiam, Africam.* Idem lib. 6. de Repub. *Omnis enim terra, quae colitur vobis, anguſtata verticibus, lateribus latior, parua quaedam inſula eſt, circumfuſa illo mari, quod Atlanticum, quod magnum, quod Oceanum appellatis.* Magna caeterarum comparatione inſularum: *Parua* coeli, mundique adſpectu. Plinius lib. 2. c. 108. *Pars noſtra terrarum, de qua memoro, ambienti, vt dictum eſt, oceano, velut innatans.* Silenus Midae. Aeliani Variar. lib. 3. c. 18. Τὴν μὲν Εὐρώπην, καὶ τὴν Ἀσίαν, καὶ τὴν Λιβύην νήσους εἶναι, ἃς περιῤῥεῖν κύκλῳ τὸν ὠκεανόν. *Europam, Aſiam, Libyam inſulas eſſe, quas circumeat oceani fluxus.* Dionyſius περιηγητής:

Μνήσομαι

Μνήσομαι ὠκεανοῖο βαθυρρόου· ἐν γὰρ ἐκείνῳ
Πᾶσα χθὼν, ἅτε νῆσος ἀπείριτος, ἐστεφάνωται.

Auienus deinde occurit, ac interpretatur:

Oceani nam terra ſalo praecingitur omnis,
Parua vt coeruleo caput effert inſula ponto.

Seneca lib. 3. qq. Natur. c. 27. *Si cogitaueris orbem terrarum natare.* Apuleius lib. 2. de Mundo: *Partem eius* [orbis] *inſulas eſſe, partem vero continentem vocari; neſcij omnem hanc terrenam immenſitatem Atlantici maris ambitu contineri, inſulamq; hanc vnam eſſe cum inſulis ſuis omnibus.* Quae tranſlata ſunt de capite tertio Ariſtotelis de Mundo: Τὴν μὲν δὴ οἰκουμένην ὁ πολὺς λόγος εἴς τε νήσους, καὶ ἠπείρους διεῖλεν, ἀγνοῶν ὅτι καὶ ἡ σύμπασα νῆσός ἐστιν ὑπὸ τῆς Ἀτλαντικῆς θαλάσσης περιρρεομένη. *Terram habitabilem aiunt multi in inſulas diſtrahi, & continentem, ignorantes, quod vniuerſa terra inſula eſt Atlantico mari circumfuſa.* Ibidem: Τῶν δὲ νήσων αἱ μὲν εἰσὶ μεγάλαι, καθάπερ ἡ ξύμπασα ἥδε οἰκουμένη λέλεκται. *Inſularum aliae magnae, ſicut vniuerſa habitata terra dicitur.* Iterum: Τὴν οἰκουμένην ταύτην, ἣν δὴ νῆσον εἰρήκαμεν, camipſam, quam in Europam, Aſiam, Libyam diſpeſcit. Strabo l. 1. Ὅτι δὲ ἡ οἰκουμένη νῆσός ἐστι. *Terra inſula eſt.* Diſertiſſime Piſides in Coſmurgia:

Ὡ γῆς ὑποστήριγμα τορνεύων ὕδωρ,
Ἰστῶν δὲ τὸ βρίθουσαν ἀστάτῳ βάσει,
Ἢ βάθρον αὐτῇ προσχέων τὸν ἀέρα.

Iambos trimetros ſic heroicis hexametris tentabam:

Qui torno fabricauit aquas fulcimina terris,
Inſtabiliq; baſi ſtabiliuit pondera tanta,
Et circumfuſum fulcri more aëra ſtrauit.

Elegantia vetere ſententiam ſuam comit Piſides. Sic & M. Tullius lib. de Vniuerſitate loquitur: *Idque ita tornauit, vt nihil effici poſſit rotundius.* Similiter Plato. Dionyſius: Πρῶτα θεμείλια τορνώσαντο, *Prima tornauere fundamenta.* Item Ἔντορνον σφαῖραν dixere Timon Phliaſius, & Sextus Empiricus. Diligentem, exactamque induſtriam ſignat hoc loquendi genus. Nota Heſychij eſt: Ἐκ τόρνης, ἐκ τοῦ καθήκοντος, hoc eſt, *Torno* perfectum, ſeu *Conuenienter*, *vti par eſt.*

Nec cinguli inſtar dumtaxat aquam Tellus habet: ſed apud Ioannem Damaſcenum lib. 2. c. 9. Ἐν ἀρχῇ μὲν οὖν τὸ ὕδωρ ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν ἐπεπόλασε: *In mundi primordio aqua in omnem terram ſtagnabat.* Ambroſius lib. 1. Hexaëm c. 8. *Terra erat inuiſibilis* [ἀόρατος Septuaginta Interpretibus, quos ſanctior Graecia ſequitur] *quia exundabat aqua, & operiebat terram.* Baſilius M. homilia 2. perpulcre, & explanatius: Ὅτι ὑποβρύχιος οὖσα ἐκ τοῦ ἐπιπολάζοντος

τῇ ἐπι-

τῇ ἐπιφανείᾳ ὕδατος οὐκ ἠδύνατο καθορᾶσθαι. Haec ſunt: *Submerſa tellus cum eſſet, faciem eius inundante aqua, non erat adſpectabilis.* Non erat operta igne: quia lucet: non circumamicta aëre: quia tralucet: ſed aquis vndiquaque cincta latebat, *inuiſibilis erat*, & in ſtatione ſua firma. I ad D. Aug. c. 4. lib. imperfect. de Geneſi ad literam.

Quare inconſulte, ἀνοήτως, ac nimis petulanter doctor Lagopolitanus lectionib. in 1. D. Thomae partem inuolat in canos D. Chryſoſtomi, cuius de terra doctrina haec eſt commentario in Geneſim: Ταύτην αὐτὴν τὴν βαρεῖαν, καὶ τὸ τοσοῦτον κόσμον ἐπὶ τῶν οἰκείων νώτων φέρουσαν ἐπὶ τῶν ὑδάτων ἐθεμελίωσε, καθὼς ὁ προφήτης φησὶν, Ο'θεμελιώσας τὴν γῆν ἐπὶ τῶν ὑδάτων. Ποῖος λογισμὸς ἀνθρώπινος ἐφικέσθαι τοιούτων δυνήσεται; *Hanc ipſam Terram grauem, quaeq; tantum mundum dorſo ſuo gerit, in aquis fundauit, vti Propheta ait: Qui fundauit terram ſuper aquas. Ecquis humanus intellectus queat haec penetrare?* Tum elabi putat iſte doctor hebraiſmo. Iudaeos enim ſuperlationis vocibus carere, illarum loco vſurpare τὸ *Super*. Quod vt in parte verum: ita hic falſum. In Graeco vides Ε'πὶ, non Υ'πὲρ. Neque Chryſoſtomus *ſuſpenſam in aquis terram* dixit: miraculum dixit: quia terrae haec cum aquis conniuentia elementorum propenſionibus pu-

Digitized by Google

gnat quod pluribus S. Pater perſequitur. Nec vnius Chryſoſtomi ſententia haec: ſed antiquiſſimorum ſapientum temporibus fuit receptiſſima. Baſilius M. Τὸ γὰρ ἐπὶ θαλασσῶν ἐθεμελίωσεν αὐτὴν, τί δηλοῖ, ἢ τὸ πάντοθεν περικεχύσθαι τῇ γῇ τὴν τοῦ ὕδατος φύσιν; *Nam fundatam in mari terram ipſam, quid aliud declarat, quam vbiq; terrae circumfundi aquae naturam?* D. Auguſtinus lib. 1. de Geneſi ad Literam c. 12. *Cum enim totam terram aqua adhuc tegeret, nihil impediebat, vt aquoſa; & globoſa moles ex vna parte faceret diem lucis.* Nec ita multo poſt: *Quo ergo congregatae ſunt aquae, ſi totam terram prius occupauerant?* Item: *Cum autem totam omnino terram vndoſa natura cooperiret.* Quod ad mundi primordia referas, oportet: ante Deus, quam ſuis cauis aquarum ſynagogas adſtrinxiſſet. Vidit hic aliquid Iuſtinus l. 2. *Siue illuuies aquarum principio rerum terras obrutas tenuit.* D. Ambroſius l. 6. Hexaëm. c. 9. *Vt coelum eminet aëri, terris maria.* D. Thomas 1. p. q. 69. a. 1. ad 2. *Mare eſt altius terra, vt experimento compertum eſt in mari rubro, vt Baſilius dicit hom. 4. Hexaëm. ante medium.* Tullius lib. 2. de Natura D. *Ea ratione mare cum ſupra terram ſit, medium tamen terrae locum expetens, conglobatur vndiq; aequabiliter, neque redundat vnquam, neque effunditur.* Quid quod aquam eſſe ſuper terram ſit neceſſe? D. Auguſtin. l. 2. de Geneſ. ad literam: *Vt ſupra ſit aqua: ſubtus autem*

terra. Alioqui aqua elementum facile cedens, àc diſſipabile,& graue vbi ſubſiſteret?Hanc tamen ſententiam Conimbricenſes fabulam, aut poeſim, non philoſophiam olere rentur. Tandem Deus mundi parens, atq architectus aquas ab aquis ſecretas ſuis metis circūſcripſit,& terrae pars ambitur aëre. Ouidius faberrime:

Terra pilae ſimilis nullo fulcimine nixa:
Aëre ſubiecto tam graue pendet onus.

Claudianus Panegyri de quarto conſulatu Honorij:

Et qui perpetuo terras ambitq; vehitque:
Nec premat incumbens oneri, nec ceſſerit aër.

Statius lib. 8. Terram ſic affatur:

——— Fixum, atque immobile mundi
Robur inoccidui: te velox machina coeli
Aëre pendentem vacuo ——— Tibullus:
Nam circumfuſo conſiſtit in aëre tellus.
Nec vero natura tibi admiranda videri
Pendentis terrae debet, cum pendeat ipſe
Mundus, & in nullo ponat veſtigia fundo, vti ſapientiſſime libro primo re Manilius annotauit. Quare Cleomedes *Vacuum* agnoſcit, vbi Theologorum proceres aliqui *Spatia imaginaria* extra mundi metas.

Tellus igitur corpus grauiſſimum leuiſſimo ambitur elemento, in eoque pendet. Sic ad mundialis ſapientiae ludibrium vniuerſi molitor ſanxit Deus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Stat igitur Tellus vnda, atque aëre circumfuſa, vt portiunculas terrarum aliquas in aquis ſeſſitare, aut innare mirum non ſit. Verum ſtationis cauſa non eſt aquae elementum: quippe ingenio ſuo fluxum eſt, ac pondus ferre impotens. Quanto minus aër elementum magis diuiduum, magis dilabile, & aquis ipſis obſiſtere neſcium. Quare minus mihi placet (Nancelio magis, cui *docte ſpeculatur*, *&* *diſerte interpretatur* Plinius) Plinius l. 2. c. 5. Huius vi ſuſpenſam cum quarto aquarum elemento librari medio ſpatio tellurem. *Ita mutuo complexu diuerſitatis effici nexum, & leuia ponderibus inhiberi, quo minus euolent: contraque grauia, ne ruant, ſuſpendi leuibus in ſublime tendentibus.* Quae proxime ſubiecta ratione diſſipatum imus.

Stat Terra ex aliorum ſententia ab Ouidio commorata ſua Rotunditate: nam qui *premat partes, angulus omnis abeſt.* Sic vt quae vniuerſo tribuit Tullius, de Terra dici poſſunt: *Nihil vt aſperitatis haberet, nihil offenſionis, nihil incluſum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunoſum, omneſque partes ſimillimae omnium.* At ratio haec non tulit omne punctum. Globum e metallo inijce praeterfluenti: impedietur ſua figura, quo mergatur minus? Nugae. Dices mergi a pondere. Quanto plus ponderis in terra vni-

ra vniuerſa, quam in tantillo globo ex aëre, aut aliquo metallo? Neutrum tamen orbicularis figura a merſu vindicat.

Alia Naſonis diuinatio terram moueri conie&tan-tis, & motione ipſa impediri, ne ſtationem ſuam deſerat. Huc illa feruntur:

Ipſa volubilitas libratum ſuſtinet orbem.

Sic pila manu excuſſa, quamdiu voluitur in ſupera meta, pendet: volui deſita, labitur. Fors idcirco eidem ſcriptum:

Terra pilae ſimilis nullo fulcimine nixa
Aëre ſubiecto tam graue pendet onus.

Adſignat hanc alijs opinionem Ariſtoteles lib. 2. de coelo c. 13. Συνῆλθεν ἐπὶ τὸ μέσον φερομένη διὰ τὴν δίνησιν: *Conuenit in medium lata propter volutationem.* Seneca lib. 7. qq. Natur. c. 14. Super hoc fuſior adornanda mox diſceptatio. At forte non Terrae, ſed mundi *volubilitatem* intellexerit Ouidius. Id Plinius videtur loqui l. 2. c. 64. *Mundus in centrum vergit: at terra exit a centro, immenſum eius globum in formam orbis aſsidua circa eam volubilitate cogente.*

Partium mundi concentu, ſeu harmonia terram fixit ex aliorum ſcitis Silius Italicus, & *Foedus* nominat lib. 14.

Ille

——— Ille haereat, anne
Pendeat inſtabilis tellus: cur foedere certo
Hunc affuſa globum Tethys circumliget vndis,
Nouerat ——— Archimedes.

Boëthius: *Tu numeris elementa ligas: vt frigora flammis*
Arida conueniant liquidis: ne purior ignis
Euolet, aut merſas deducant pondera terras.

Alij Terrae ipſi ſiſtendi ſe vim tribuunt. Naſo in ancipiti ſuper hoc deliberatione 6. Faſtor.

Stat vi Terra ſua: Viſtando Veſta vocatur:
Cauſaq́ par Graij nominis eſſe poteſt.

Ε῾ςία παρὰ τὸ Στῆναι. Etymologus: Α᾿πὸ μὲν τȣ̃ ἵζω, ἱςία· ἀπὸ δὲ τȣ̃ Ε῞ζω, ἑςία. Idem: Παρὰ τὸ ἑςάναι. *Stat vi Terra ſua.* quanam illa? Volunt terrae ſingularum partium libramento in ima vergente. Ouidius Metamorphoſi prima:

——— Circumfuſo pendebat in aëre Tellus.
Ponderibus librata ſuis ———

Rhemmius Fannius: *Pondere terra manet* ———
Conuergunt partes ad medium ac veluti, ne cadant, cadunt. Specioſe Manilius:

——— Fecitq́ cadendo
Vndique, ne caderet ———

Nutus appellat inclinationem hanc Tullius lib. 2. de Na-

Digitized by Google

de Natura D. *Solida, & globoſa, & vndique ipſa in ſeſe nutibus ſuis conglobata.* Ex hac loquendi formula emendatior eſto Ambroſius lib 1. c. 6. *Multi etiam in medio aëris Terram eſſe dixerunt, & mole ſua immobilem manere, quod aequabili motu hinc, atque inde ex omni parte propendeat.* Scribo: *Aequabili nutu.* Quomodo enim rem *immobilem*, quam dicit, *motus* ſequatur? Diſplicuit ea ratio Senecae lib. 7. qq. Natur. c. 14. *Illud etiamnum nemo dicere audebit, mundum ferri per immenſum, & cadere quidem; ſed non apparere an cadat: quia praecipitatio eius aeterna eſt, nihil habens nouiſſimum, in quod incurrat. Hoc quidem de Terra dixerunt: cum rationem nullam inuenirent, propter quam pondus in aëre ſtaret.* Quae ratio ſi cuiuſpiam animum, aut exſpectationem minus explet, aduertat illud Plinij lib. 2. c. 65. *Quid hoc refert alio miraculo exoriente? Pendere ipſam, ac non cadere nobiſcum, ceu ſpiritus vis mundo praeſertim incluſi dubia ſit: aut poſſit cadere natura repugnante, & quo cadat, negante.* Manu quodammodo ad naturae auctorem, qui Tellurem tali ingenio procreauit, ducit nos. Nam dicere: *Se terra fundauit ſuo pondere*, quod apud Minutium reponit Barthius l. 43. Aduerſar. c 25 abſurditate foetum eſt, foedumque. An Terra, antequam eſſet, vt ſe fun-

daret, fuit? Hoc ex ea correctione conſectarium eſt. An ſe fundauit, aut creauit Terra? Certe hoc in claſſem τῶν ἀδυνάτων referendum eſt. Omnium ſapientiſſime, ſi non a veri confeſſione noſipſos repellimus, Ioannes Damaſcenus lib. 2. Fidei Orthodoxae c. 10. Ἧς τὴν ἕδραν, καὶ τὴν βάσιν οὐδεὶς ἀνθρώπων εἰπεῖν δεδύνηται, *Cuius ſedem, & baſim effari potuit nullus hominum.* Et D. Chryſoſtomus inſinuat. D. Baſilius M. hom. 1. in Hexaëm.. Μηδὲ ἐκεῖνο ζητεῖν παραινῶ, ἐπὶ τίνος ἕστηκεν· ἰλιγγιῶσι γὰρ, καὶ οὕτως ἡ διάνοια πρὸς οὐδὲν ὁμολογούμενον πέρας διεξιόντος τοῦ λογισμοῦ. *Neque illud quaeri ſuaſerim, In quo ſtat? Vertigine laborant enim: eaq; ratione mens ad nullam confeſſam metam peruenit ſic excurrente ratiocinatione.* Tum apponit alia, quae D. Ambroſius lib. 1. c. 6. nobis exponit: *Quid nobis diſcutere, vtrum in aëre pendeat, an ſuper aquam, vt inde naſcatur controuerſia, quomodo aëris natura tenuis, & mollior molem poſſit ſuſtentare terrenam? Aut quomodo ſi ſuper aquas, non pondere mergatur in aquam grauis terrarum ruina?* Item ex Barthij opinamento non videatur Deus terrae fundator, ſi *ipſa ſe fundauit*, repugnante Dauidis oraculo pſ. 103. *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam.* Ei quidem ſtabilitas: ſed a Deo, non a ſe. Sic intelligo Baſilium M. hom. 4. in Hexaëm.

Γῆν ζ

Γῆν δὲ τὴν ἄπειρον μεγέθει, καὶ βάρει, αὐτὴν ἐφ' ἑαυτῆς ἑδραζομένην: *Terram infinitam magnitudine, & grauitate, ipſam in ſeipſa confidentem.* Quis conſtituit? Deus, vt diuinis teſtimonijs edocemur: vt Plinius cenſet lib. 2. c. 65. Natura. *Quod ita formaſſe artifex natura credi debet*, inquit. Eapropter Iobi 26. *Qui appendit terram ſuper nihilum.* Nulla namque procreabili re fulcitur: vno Deo, Deique virtute tota nititur terrae moles, & mundi machina. Eodem feruntur illa Gregorij Nazianzeni Orat. 34: Πῶς ψάμμος ὅριον αὐτῇ, τηλικούτῳ στοιχείῳ; Ἔχουσί τι λέγειν οἱ φυσικοὶ, καὶ σοφοὶ τὰ μάταια, καὶ κυάθῳ μετροῦντες ὄντως τὴν θάλασσαν, τὰ τηλικαῦτα ταῖς ἑαυτῶν ἐπινοίαις; ἢ συντόμως ἐγὼ παρὰ τῆς γραφῆς τοῦτο φιλοσοφήσω, καὶ τῶν μακρῶν λόγων πιθανώτερόν τε, καὶ ἀληθέστερον; πρόσταγμα ἐγύρωσεν ἐπὶ πρόσωπον ὕδατος· τοῦτο τῆς ὑγρᾶς φύσεως ὁ δεσμός. *Quomodo arena tanto aquae elemento finis? Habent, quod dicant phyſici, & vani ſapientes, qui ſcypho reuera mare metiuntur, res tantas ſuis ingeniolis. An breuiter aliquid e Scriptura delibabo, & philoſophabor, & longis diſputationibus probabilius aliquid, veriuſq; adſeram? Praeceptum impoſuit* [Deus] *aquarum globo. Hoc naturae fluxae vinculum eſt.* Rectiſſime, aptiſſime Piſides in Coſmurgia:

Οὐκ οἶδα ποίαν ἑδράσας ἄλλην βάσιν,
Ποῖον δὲ γαίῃ δημιουργῶν πυθμένα,
Σειραῖς δὲ μᾶλλον ἠγνοημέναις ὅλως.

Haut noui qualem ſtatuens aliam baſim,
Aut qualem terrae fabricatus ſit fundum,
Catenis potius ignoratis omnino.

Catenas has Dauid pſ.74. *Columnas* appellat: *Ego confirmaui columnas eius*. Vbi Ioannes Damaſcenus lib.2. c.10. Τὴν συνεκτικὴν αὐτῆς δύναμιν στύλους ὀνομάσας: *Columnas appellans vim terram continendi*, quae Dei vis eſt. Rem, dictionemq. mutuatus eſt de Baſilio M. Damaſcenus, ex quo & D. Ambroſius nectar ſuum hauſit lib.1. c.6. *Non ergo quod in medio ſit Terra, quaſi aequa lance ſuſpenditur: ſed quia maieſtas Dei voluntatis ſuae eam lege conſtrinxit, vt ſupra inſtabile* [aquae] *atq. inane* [aëris] *ſtabilis perſeueret*. Mox: *Qui non centro quodam Terram, ſed praecepti ſui ſuſpenderit firmamento, nec eam inclinari patiatur*: Lepidiſſima ſubſequuntur. Addit: *Neq enim cum legimus: Ego confirmaui columnas eius, vere columnis eam ſubnixam poſſumus aeſtimare; ſed ea virtute, quae ſuffulciat ſubſtãtiam terrae, atq. ſuſtineat.* Ea porro Dei virtus eſt. Sic veteres Graeci *Radices* maris, & inſularum egregie nominarunt. Producentur c.6. Hac in diſquiſitione Senecae aqua haeſit lib.6. c.20. qq. Natur. *Fortaſſe aliqua parte terrae, inquit, velut*

columnis

columnis quibuſdam, ac pilis ſuſtinetur, quibus vitiatis, ac recedentibus, tremit pondus impoſitum.

Quare vni vero, viuenti, videntiq; Deo immortali debita eſt *Tigilli* adorea, *quod tanquam tigillus mundum contineret, ac ſuſtineret*, D. Auguſtini effata lib. 7. c. 11. de Ciuit. Hic eſt, qui *Suſtinet aeternis fultum radicibus orbem*, Manilij lib. 2. Hic eſt quem coeca Antiquitas tẽtabũdis animi agitationib. putauit, dixitq. Γαιήοχον, τὸ συνέχοντα, καὶ βαστάζοντα τὴν γῆν, Etymologi verbis.

Aut ſi ad literam quiſpiam cogit intelligi [illud pſal. 135. *Fundauit terram ſuper aquas*] *non incongruenter vel ſublimia terrarum, ſiue continentium, ſiue inſularum accipiuntur, quae ſuperiora ſunt aquis: vel ipſa tegmina ſpeluncarum, quae ſuper aquas pẽdula ſoliditate firmata ſunt*. D. Auguſtini doctrina haec lib. 2. de Geneſi ad Literam. Vel *Super aquas*: terram aquis conſtantiorem, firmiorem, immobiliorem fecit. Seu *Magis terram firmauit*, quam aquas, quae ſuopte ingenio labiles, volubiles, diſſipabiles. Ita pſ. 17. *Volauit ſuper pennas ventorum*: τὸ *Super* hic valet, *Ventis celerius, aut altius*. Pſalmo quoque 12. *Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me?* Expoſitio vna Genebrardi luculentiſſimi interpretis haec: *Pluſquam ego: Supra me: Quouſque me erit ſublimior & potentior?* Item pſ. 36. *Melius eſt modicum iuſto ſuper diuitias punctorum multas*.

D 3 CAP.

Digitized by Google

CAP. III.

Secundo Capiti lux maior. Maris termini ex Iobo, Ieremia, vtroq; Baſilio, D. Ambroſio, Piſida, Plinio.

MIrificam profecto indolem aedificator mundi Deus terrae inoleuit, vt in vniuerſi meditullio ſita partim aquis leuioribus ambiatur; partim aëre leuiſſimo conueſtiatur elemento. Nec mirum minus vndas ab orbis incunabulis terris olim circumfuſas, in caua terrarum deinceps voluntate, ac nutu Dei humanis vſibus reuocatas eſſe, *praeſcriptoſq; mari fines* ore Claudiani. Emirantur hoc literae diuinitus inſpiratae, SS. Patrum globus, ſapientia exotica. Iobi c. 38 *Quis concluſit oſtijs mare, quando erumpebat quaſi de vulua procedens? Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia, & dixi: Vſq; huc venies, & non procedes amplius: & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Baſilius M. hom. 4. in Hexaëm. Διὰ τοῦτο μαινομένη πολλάκις ὑπὸ ἀνέμων ἡ θάλασσα, καὶ εἰς ὕψος μέγιστον

μέγιστον διανισταμένη τοῖς κύμασιν, ἐπειδὰν μόνον τῶν αἰγιαλῶν ἅψηται εἰς ἀφρὸν διαλύσασα τὴν ὁρμὴν ἐπανῆλθεν. Haec ſunt: *Ideo ventorum vi furens ſaepe mare, & in ſublime maxime elatum fluctibus, mox vt litora tetigit dumtaxat, in ſpumam ſoluto impetu reuertitur.* Baſilius alter Seleuciae praeſul: Ψαύουσα δὲ τῶν ὅρων ὑποστρέφει δραπετεύουσα, καὶ τὴν τοῦ δεσπότου φωνὴν, ἐν αἰγιαλοῖς γεγραμμένην ὁρῶσα, κυρτουμένη τοῖς κύμασι προσκυνεῖ τὴν ὁροθετήσαντα, καὶ πλήττουσα βίᾳ τὴν χέρσον, ἀντιπλήττεται πρὸς φυγὴν τῇ τοῦ προστάγματος μνήμῃ. Haec ille, quem olim Latine fecimus, Oratione prima. Vides illius imperium, *qui legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos* Prouerb. c. 8. Piſides Coſmurgia comtiſſime.

> Ψάμμον δὲ τεῖχος τῇ θαλάσσῃ συλλέγων,
> Καὶ λεπτὸν ἀντίφραγμα τῇ ζάλῃ πλέκων.

> *Pro muro arenarum aequori eſt collegium,*
> *Mariq; feruido tenuem obicem obijcit.*

D. Ambroſius lib. 3. c. 2. Hexaëm. *Infirmiſsimo itaq; omnium vilis ſabuli puluere vis maris in tempeſtate cohibetur, & veluti habenis quibuſdam coeleſtis imperij a praeſcripto ſibi fine reuocatur, violentiaq; aequoris motus in ſe frangitur, atque in reductos ſinus ſuos ſcinditur.* Plinius mare non redundare, aut diffluere extra terminos ex eius rotundo ſchemate colligit l. 2. c. 65. *Denique oceanus, quem fatemur*

ſatemur vltimum, quanam alia figura cohaereret, atque non decideret, nullo vltra margine includente? Ipſum id ad miraculum redit, quonam modo, etiamſi globetur, extremum non decidat mare. Ad Deum architectum reuertatur oratio. Ieremiae c. 5. *Qui poſui arenam terminum mari, praeceptum ſempiternum, quod non praeteribit: & commouebuntur, & non poterunt: & intumeſcent fluctus eius, & non tranſibunt illud.*

C A P. IV.

Terra moueat, an quieſcat? Vtroque conferuntur auctores. Cur terra a curſu dicatur Hebraeis. Thales improbatus. Tota olim Terra vndique aquis tecta. Terra quibus Punctus. An montibus alijs, atque alijs ſibi impoſitis ad coelum vſque perueniri poſsit?

EX portionum rotunditate totam aquam eadem concludit figura Plinius lib. 2. & Ariſtoteles 2. de Coelo ex deſcenſu partium terrae in inferiora,

Digitized by Google

inferiora, ipſam ad centrum ferri, neque circa polum rotari confectum arbitratur. Verum antequam vela faciamus, breuiter diſquiramus, quod pridem Ariſtoteles inibi c. 14. Terra moueat, an quietem agat? Tullius lib. 4. Academicarum: *Nicetas Syracuſius, ut ait Theophraſtus, coelum, ſolem, lunam, ſtellas, ſuperaq́ omnia ſtare cenſet, atq. praeter terram, rem nullam moueri, quae circa axem ſe ſumma celeritate conuertat, & torqueat, eademq́ effici omnia.* Laërtij lib. 8. *Hicetas* dicitur: Οἱ δὲ Ἰκέταν Συρακούσιόν φασιν. Plutarchi lib. 3. c. 13. Οἰκέτης ὁ Πυθαγόρειος. Latet error. Genuinum eſt Ἰκέτας Laërtij: apud Plutarchum coiuit articulus: apud Tullium *Hicetas* factus eſt *Nicetas* ſpiritus portiuncula decuſſata. Fuit *Hicetas* & Syracuſij tyranni vocabulum. Sic Eclogae Diodori lib. 22. Haec diuinatio noſtra. Ad rem. Hicetae ſociamus Philolaum Pythagoreum, quem teſtatur Laërtius lib. 8. Τὴν γῆν κινεῖσθαι κατὰ κύκλον πρῶτον εἰπεῖν. Addit Heraclidem Ponticum, qui rotae inſtar circa centrum terram ire cenſet, Plutarchus de Placitis philoſophorum c. 13. & inibi Seleucum Mathematicum. Idem Plutarchus in Numa Platoni iam ſeni, ſeque facto doctiori arrogat τὴν γῆν οὐκ ἀκίνητον, *Terram non immobilem.* Mercur. Triſmegiſtus c. 12. Οὐδὲ ἡ γῆ ἀκίνητός σοι δοκεῖ, ὦ πάτερ;

Ο'υ τέκνον, ἀλλὰ καὶ πολυκίνητος μόνη ἥδε, καὶ στάσιμος: *Nonne & terra tibi, o Pater, videtur immobilis? Non, fili: quinimo ſola haec mobilis opido eſt, ſtabiliſque.* Qui *Mobilis, Stabiliſque?* Vt *tantum conſtans in leuitate ſua* Fortuna Ouidio. Iudaeae ſenatus Terram ארץ a *Curſu* indigetant: eſt enim רוץ *Currere.* Quod quibus minus intellectum, antiphraſim ſubſidio aduocant: aliter alij. Epicureorum dogma ἐν ἄλλοις τὴν γῆν τῷ ἀέρι ἐποχεῖσθαι, *Alibi terram aëri inequitare*: quanto magis elemento corpulentiori aquae? Ita Laërtius lib. 10. de Leucippo Illuſtrius: Τὴν γῆν ὀχεῖσθαι περὶ μέσον δινουμένην. *Terram, vehi cum circa medium vertitur.* Plinium lib. 36. c. 10. ibi conſule: *Siue vniuerſa tellure aliquid centro ſuo dimota, vt deprehendi, & in alijs locis accipio.* Ex recentiorum numeris Copernicus, F. Sabinus, alijque ſic ſenſere. Aeuo noſtro Mathematicorum princeps Clauius ſententiam hanc probabilitate, (etſi in Sphaeram aliter) non carere alibi pronunciat. Quae non eo diſputo, quaſi adſenſum a lectore poſtulans, aut ipſe dans. Felicius ſum initiatus. Verum ad eorum frangendam φιλαυτίαν, qui ſe de ſua ſententia circumſpiciunt tanquam Phoebo digna locutos oracula, & exſultant, aliaque omnia ne veri quidem vmbram habere pronunciant. Trahit ergo in di-

in diuerſum eminentiſſimorum Cardinalium ſententia, qui diuinis literis alteram opinionem aduerſati ſtatuunt, quo ſuper effundit ſe dextre Libertus Fromondus noſter c. 4. de Orbe Terrae immobili. Trahit Seneca lib. 3. Natur. qq c. 13. *Thaletis inepta ſententia eſt. Ait enim terrarum orbem aqua ſuſtineri, & vehi more nauigij, mobilitateq́; eius fluctuare tunc, cum dicitur tremere. Hanc veterem* [nota digna vox, & ſententia] *& rudem ſententiam explodo.* Excerpta videntur ex lib 2. de Coelo c. 13. Ariſtotelis: Τοῦτον γὰρ ἀρχαιότατον παρειλήφαμεν τὸν λόγον, ὅν φασιν εἰπεῖν τὸν Θαλῆν τὸν Μιλήσιον, ὡς διὰ τὸ πλωτὴν εἶναι μένουσαν, ὥσπερ ξύλον, ἤ τι τοιοῦτον ἕτερον· καὶ γὰρ τούτων ἐπ' ἀέρος μὲν οὐθὲν πέφυκε μένειν, ἀλλ' ἐφ' ὕδατος. *Hanc enim antiquiſsimam accepimus opinionem, & dixiſſe Thalem aiunt Mileſium, ideo firmam manere terram, quod naret, vti lignum, aut aliud quid tale: haec enim in aëre manere inimicum eorum ingenio* [ni ſcilicet moueantur] *ſed in aqua.* Eo loco Thalem Ariſtoteles creber vtraque manu pulſat. Eſt Ariſtotelis, ac Senecae ſententia in vulgus recepta, & ſacris codicibus conformior, ex quibus codicibus vniuerſae telluris dorſa aquis circumamicta primulum fuiſſe diſertim docetur capite primo Geneſeωs. Plutarchus non abſque admiratione lib. 3. de Philoſo-

phorum placitis c. 13. tradit κατ' ἀρχὰς μὲν πλάζεσθαι τὴν γῆν φησιν ὁ Δημόκριτος διά τε μικρότητα, καὶ κουφότητα, πυκνωθεῖσαν δὲ τῷ χρόνῳ, καὶ βαρυνθεῖσαν καταστῆναι: *Principio quidem erraſſe terram Democritus ſtatuit, ob paruitatem, & leuitatem: denſatam vero temporis lapſu, & aggrauatam ſtetiſſe.* Antitheta porro inuicem vt reſpondeant, ſcripſeris non Μικρότητα, ſed aptius rationi Μανότητα, *Ob raritatem.* Correctionis in illorum verborum ſpeculo imago reſplendet Gen. c. 1. *Terra autem erat inanis, & vacua.* Haud equidem prorſus *inanis:* ſed non tam ſpiſſa, quam cum arboribus, variarumque ſtirpium, & herbarum generibus materiam ſuffecit: nō tam ſpiſſa, quam poſt vallibus, montibuſque diſcreta: ſic vt *Inanis* tunc videri poſſet. Rationi hoc aptius. Principio namque non erat anguſtior, quam hodie tellus, errationis vt cauſa puſillitas fuerit: ſed *raritas* potius, Μανότης, non Μικρότης. Haut muto nihilominus: quia immenſum hunc terrae globum Poëtae magno dictum Ἀπείρονα γαῖαν, ἄπειρον, ſiue ἤπειρον paſſim, comparatione corporis ſpatioſioris, & paruiſſimum ſcimus iudicatum antiquiſſimis.

Et quia ludibundi nauigamus ad occupandas terras errabundas, vagas, natantes, nauigantes, ſeſſitantes, quieſcentes, veterum ſermones obſeramus ſuper hoc, vel oblectamenti aucupio. Eſt enim *Tellus*, vel mundi, vel

Digitized by Google

vel coeli, vel ſolis comparatione *Punctus*. Seneca lib. 1. qq. Natur. *Hoc eſt illud punctum, quod inter tot gentes ferro, & igni diuiditur. O quam ridiculi ſunt mortalium termini … Punctum eſt illud, in quo nauigatis, in quo bellatis, in quo regna diſponitis.* Pari venere Plinius l. 2. c. 68. *Hae tot portiones terrae, imo vero, vt plures tradidere, mundi punctus (neque enim eſt aliud terra in vniuerſo) haec eſt materia gloriae noſtrae, haec ſedes: hic honores gerimus, hic exercemus imperia, hic opes cupimus, hic tumultuatur humanum genus, hic inſtauramus bella etiam ciuilia, mutuiſq; caedibus laxiorem facimus terram.* Damaſcenus lib. 2. c. 10. Ἡ γῆ δὲ, καὶ πάνυ ἐστὶν οὐρανοῦ σμικροτέρα, ὥσπερ τις στιγμὴ ἐν μέσῳ τούτου κρεμαμένη. *Minor vero, ac coelo prorſus eſt minor, punctique inſtar coeli in medio ſuſpenſa. Punctum* hunc *Centrum* dixere M. Tullius 1. Tuſculan. *Perſuadent enim Mathematici terram in medio mundi ſitam ad vniuerſi coeli complexum, quaſi puncti inſtar obtinere, quod* κέντρον *illi vocant.* Cleomedes lib. 1. Ἡ γῆ στιγμιαία ἐστὶ πρὸς τὸ μέγεθος τοῦ κόσμου. *Terra puncti inſtar eſt ad mundi magnitudinem.* Poſt etiam punctum eſſe adſerit comparatione globi ſolaris. Verba: Κέντρου λόγον ἐχούσης πρὸς τὴν ἡλιακὴν σφαῖραν. *Ad ſolis globum puncti rationem obtinet.*

Punctus Terra? Atque haec cauſa, cur in fabulis Aloïdae compoſitis, ac ſuperimpoſitis, exaggeratiſque montibus, aut in primordio mundi mortalium ambitio ſuperba turri Babel in ſublime elata coelum adusque pertingere nequiuerit, Ὅτι περ οὐδὲν κέντρον περιφερείας ἅπτεται: *Quia nullus punctus circumferentiam tangit*: tellus autem coeli punctus. Verum quemadmodum boum, ſuumq. veſicas quamuis perexiguas tanto ſpiritu diſtendunt pueri, vt in quadruplam diffientur magnitudinem: ſic hoc qualequale punctum ita poteſt exaggerari, difflari, rareſcere (etſi non humanitus) vt ad coelum adſurgat. Reapſe namq. Terra punctus non eſt: corpus vaſtum eſt, atque ingens: nec tamen quod veterum quorundam placitum fuit, infinitum: ſed ſuis metis, ac dimenſionibus extentum, quae & nouis pomoerijs amplificari poſſit diuinitus. Quamdiu tamen Puncti rationem obtinet, neque à ſe recedit tellus, obtineat Philonis diſertitudo. Ad partes iam *Terrae* mobiles peruentum eſt, ad quas dum properamus, de ſtatione terrae totius contra nouitios γαχίνας Lectorem ad luculentum Liberti Fromondi Commentarium liberum ire iubemus.

CAPVT

Digitized by Google

C A P. V.

Symplegades, Planctae, Plotae, Cyaneae. Planaria, Planeſia, Strophades. Cyaneae an fuerint? Quid fuerint? An glacies immenſa? Vbi? Montes mutarunt ſedes, vbi? An exſtare deſierint Cyaneae?

INSVLARVM Mouentium famoſiſſimae *Symplegades*, quibus non vnum nomen Antiquitas indidit. Eaedem *Planctae*, *Plotae*, *Cyaneae*, & cum acceſſione, *Cyaneae Rupes*, *Cautes*, *Scopuli*, *Montes*, *Saxa*. *Planctarum* appellatio Crateti minus placuit: quemadmodum & *Planetarum* M. Tullio in Arateis. *Planctae* namque *ab Erratione*, Παγκταί, vt de Vlyſſis erroribus in operis cognominis limine ſcriptum:

—— Ὃς μάλα πολλὰ Πλάγχθη ——

In Aeſchyli Prometheo θαλασσόπλαγκτα ὀχήματα, *Vehicula*

cula mari errantia. Ibidem : Τηλέπλαγκτοι πλάνοι : *Errores procul errati.* Heſychius : Πλαγκταὶ· οὕτω πέτραι τινὲς καλοῦνται, διὰ τὸ πλάζεσθαι αὐτάς, ἃς ἔνιοι Συμπληγάδας καλοῦσιν. *Planctae : ita cautes appellantur nonnullae, quod errent ipſae, quas aliqui Symplegadas vocant.* Apollonio Rhodio lib. 2. Argon. Πληγάδες nominantur, ab Aſclepiade, & Homeri Scholiaſte. Ab eodem fonte eſt *Planaſiae*, ſeu *Planeſiae* nomenclatura Strabonis lib. 2. & 4. *Plotas, a nando* eaſdem dici fas: etſi *Plotarum* nomen *Strophadibus* conueniat, & Aeoli inſulae: mox videbis. Heſychius: Πλωτὴ, κινουμένη, καὶ ἐπιπλέουσα· Ὅμηρος δὲ καὶ ἐπὶ τῆς Αἰόλου νήσου τίθησιν. *Cyaneae* quoque abſque additamento. Arrianus in Euxini Periplo : Αὗται δὲ αἱ Κυάνεαί εἰσιν, ἃς λέγουσι ποιηταὶ Πλαγκτὰς πάλαι εἶναι: *Hae ſunt Cyaneae, quas olim Planctas Poëtae dixere.* Nec Poëtae ſoli: generatim Graeci. Herodotus lib. 4. Ἔπλεε ἐπὶ τὰς Κυανέας, τὰς πρότερον Πλαγκτὰς Ἕλληνές φασιν εἶναι. Alijs ore pleno, & cum acceſſione *Rupes Cyaneae.* Valerio Flacco lib. 4.

——— Extemplo ſaeua ſub imagine rupes

Cyaneae ——— Idem lib. 1. *Cautes* ſubiecit:

Hoccine Cyaneae concurrum aequore cautes?

Sidonius in Epitalamio:

Inter Cyaneas Ephyrea cacumina cautes.

Satyra

Satyra 15. Iuuenalis dixit *Saxa Cyanea*, vti correximus in noſtris Silianis. *Symplegades* Plin. l. 4. c. 13. *Cyaneae ab alijs Symplegades appellatae.* Idem l. 6. c. 12. *Planctae, ſiue Cyaneae*, ſiue *Symplegades*. A *Conflictu* ſcilicet, ſeu *Concurſu*, ſeu verius mutuo *Concuſſu*: hoc enim eſt Συμπλήτεσθαι. *Conuentum* nominat Apollonius lib. 2.

—— Ἐνὶ πόντῳ Στεινωπῷ σύνιασι πανήμεροι ἀλλήλῃσιν.

In Ponto anguſtiore conueniunt ſolido die inter ſe.

Capitalis quaeſtio, An ſint *Cyaneae*? Valerius Flaccus libro quarto adſerit locis retro poſitis, ponendiſque. Adſerit Apollonius, & Periplo Arrianus: nam per eas primam nauem curſum feliciter tenuiſſe ſcribit: Διὰ τούτων πρώτην ναῦν περάσαι τὴν Ἀργὼ, ἥτις εἰς Κόλχους Ἰάσωνα ἤγαγεν: *Per eas primam nauem Argo, quae Colchis Iaſonem intulit, traieciſſe.* Hauſit ex Homeri oceano Odyſs. M.

Οἴη δὴ κείνηγε παρέπλω ποντοπόρος ναῦς
Ἀργὼ πασιμέλουσα παρ' Αἰήταο πλέουσα.

Sola ea Cyaneas cautes enauerat Argo
Pontigrada Aeeta cunctorum cura relicto.

Ex euentu Ἀργὼ πρωτόπλοον appellitat Sextus Empiricus lib. 6. aduerſus Mathematicos. Idem Homerus *Planctarum* appellationem dijs acceptam refert, & Cyanearum nomen a nubium colore eſſe indicat:

Οἱ δὲ δύω σκόπελοι, ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει
Ὀξείῃ κορυφῇ, νεφέλη δέ μιν ἀμφιβεβήκει
Κυανέη, τὸ μὲν οὔποτ' ἐρωεῖ, οὔτε ποτ' αἴθρη
Κείνου ἔχει κορυφὴν, οὔτ' ἐν θέρει, οὔτ' ἐν ὀπώρῃ.

Hi vero duo ſcopuli, hic quidem latum coelum attingit
Acuto vertice, nubes autem ipſum circumdat
Cyanea, nec vnquam recedit, neque ſerenum
Illius obtinet verticem, non aeſtate, non auctumno.

Mela lib. 2. c. 7. nullo diuortio quiuit a Plinio recedere. Apollodorus lib. 1. Auienus, alij. Amplius dicit Apollonius, qui cauſam edit, cur moueantur:

Οὐ γάρ τε ῥίζῃσιν ἐρηρέδαται νεάτῃσιν.

Hae namque haud imis radicibus effultae ſunt.

Negitat Iul. Scaliger Exercitatione 37. aduerſus Cardanum: *Symplegades, non illae Graeciae mendacis.* Quam verborum ſatyricam aſperitatem riſu demulcet Augerius Busbequius epiſt. 1. *Voles fortaſſe hoc loco, vt tibi aliquid de Natantibus inſulis Cyaneis, ſiue Symplegadibus referam. Ingenue fateor me paucis ijs horis, quibus ſum ibi verſatus, nullas inſulas Cyaneas (neſcio an alio quopiam tunc defluxerint) cognoſcere potuiſſe.* Plinius *Cyaneas* non negat, negat *Symplegadas.* Non quod eiuſdem rei non ſint haec vocabula: ſed quia *conflictum*, a quo *Symplegadum*

gadum nomen, abnegat. Integremus Plinij locum l 4 c. 13. *Cyaneae ab alijs Symplegades appellatae, traditaeque fabulis inter ſe concurriſſe: quoniam paruo diſcretae interuallo ex aduerſo intrantibus geminae cernebantur, paulumque deflexa acie coëuntium ſpeciem praebebant*. An igitur illuſis oculis fallaciam adſcribemus? Aguilonius, quo non ὀπτικώτερος ἄλλος, Opticorum lib. 6. c. 12. *Ita adſpectu deluſi homines illas, non ſe, moueri, & conflictantium in morem congredi ſunt arbitrati*. Parem fraudem, & mendacium Siciliae promontorijs impingit Iuſtinus lib. 4. *Coëuntibus in ſe promontorijs, ac rurſum diſcedentibus, ſolida intercipi, abſumique nauigia... Ea eſt enim procul inſpicientibus natura loci, vt ſinum maris, non tranſitum putes: quo cum acceſſeris, diſcedere, ac ſeiungi promontoria, quae antea iuncta fuerant, arbitrere.*

Quaeſtio altera. Sunt *Saxa*, ſunt *Inſulae*, ſunt *Montes*, *Scopuli*, *Cautes*: quid pro vero arbitremur aut teneamus? Scaliger praemonſtrata Exercitatione: *Tum vero maius a glacie periculum, cuius immenſae cruſtae fluitantes mobilium inſularum inter ſe concurſantium ſpeciem praebent. Vt verae ſint eae Symplegades, non illae Graeciae mendacis*. Diſſimulat interim, quae a Macrobio lib. 7. c. 12. mu-

tuatus eſt, vti plurima in libros Ariſtotelis compilata de Pollucis ſcriniјs, & aliunde alia ex Graecis. Macrobius ergo duci queat in partes: *Superficies maris, cui dulces aquae innatant, congelaſcit, & incolumi aqua marina videtur in mari gelu: ſed de aduenis vndis coactum.* Hoc & in *Ponto fieri videmus.* Herodotus Melpomene: Ἡ δὲ θάλασσα πήγνυται, καὶ ὁ Βόσπορος πᾶς ὁ Κιμμέριος· καὶ ἐπὶ τοῦ κρυστάλλου οἱ ἐντὸς τάφρου Σκύθαι κατοικημένοι στρατεύονται, καὶ τὰς ἁμάξας ἐπελαύνουσι πέρην. Interpres: *Mare glaciatur, & omnis Cimmerius Boſphorus, ſupra quam glaciem omnes, qui intra foſſam incolunt Scythae exercitus ducunt, & plauſtra agunt trans mare.* Seneca Hercule F.

> *Calcauitq́; freti terga rigentia,*
> *Et mitis tacitum litoribus mare.*
> *Illic dura carent aequora fluctib.*
> *Stat Pontus vicibus mobilis annuis,*
> *Nauem nunc facilis, nunc equitem pati.*

Suppar in Strabone hiſtoria lib. 2. vbi eodem loco explicatis exercitibus Mithridatis ſtrategus hoſtem deuicit naumachia, & hippomachia: Οἱ δὲ πάγοι παρ' αὐτοῖς τοιοῦτοί τινές εἰσιν ἐπὶ τῷ στόματι τῆς λίμνης τῆς Μαιώτιδος, ὥστ' ἐν χωρίῳ, ἐν ᾧ χειμῶνος ὁ τοῦ Μιθριδάτου στρατηγὸς ἐνίκησε τοὺς βαρβάρους, ἱππομαχῶν ἐπὶ τῷ πάγῳ, τοὺς αὐτοὺς καταναυμαχῆσαι θέρους λυθέντος τοῦ πάγου. Interpres: *Ita in faucib. Maeotidis paludis huiuſmodi cogitur glacies, vt quo*

loco Mithridatis legatus barbaros in glacie ſuperauit equeſtri proelio, eodem deinde eos aeſtate ſoluta glacie deuicerit nauali pugna. Ouid. l.4. de Ponto Eleg. 10.

> *Hic freta vel pediti peruia reddit hiems*
> *Et qua remus iter pulſis modo fecerat vndis,*
> *Siccus contemta naue viator eat.*

Nonnus Baſſaricων lib. 3. de Iſtro:

Ὑδρηλὰς ἐχάραξε πεπηγότος αὔλακας Ἴστρου.

Sidonius Apollinaris Carmine VII.

—— *Scythiaeque vagis equitata cateruis Iſter* ——

Idem tradit in Dionyſium Euſtathius. Maxime vero memorabile, quod Vincentius hiſtor. c. 23. c. 158. Anton. tit. 14. c. 2. §. 4. confert. Pontus Euxinus miteſcit, eoq. animalia adaquātur, ſtringiturq. gelu adeo, vt anno DXLVI. ſub imperio Copronymi centum miliarium glacies plauſtra tulerit altitudine, quod prope incredibile, triginta cubitorum aqua conglaciata ad ipſum aluei fundum. Vide Zonaram. Nec abſimile vero eſt Argonautas ſic durato Ponto tempeſtate quadam hiberna curſum per Symplegadas tenuiſſe. Reprehendamus Macrobium ſuperne: *Hoc & in Ponto fieri videmus, in quo fruſta quaedam, &, vt ita dicam, proficiae gelidae feruntur contractae de fluuialium, vel paluſtrium vndarum multitudine,*

in quo licet frigore concretae, tamen ſunt natantes, quaſi leuigatiores marina. An *quaſi leuiores marina?*

Contra qui ſentiunt, ideo maxime ita ſentiunt, quod Inſulas, Monteſque motari maius humana fide videatur. At non eſt. Eo nos multa ducunt, trahuntve. Primum Virgilius Aenëide octaua

——— *Credas innare reuulſas*
Cycladas, aut montes concurrere montib. altis.
Tanta mole viri turritis nauibus ibant.

Poſſunt haec *credi* Poëtae verbo: nonne & fieri poſſe indicat? D. Ambroſius lib. 5. Hexaëm. c. 11. *Quam ingentia illic, & infinitae magnitudinis cete, quae ſiquando ſupernatant fluctibus, annatare Inſulas putes montes altiſsimos ſummis ad coelum verticibus eminere.*

Quid fieri poſſe? Factum denarrat Plinius lib. 2. c. 83. *Factum eſt ſemel (quod equidem in Etruriae voluminibns inueni) ingens terrarum portentum Lucio Marco, Sex. Iulio Coſſ. in agro Mutinenſi. Namque montes duo inter ſe concurrerunt crepitu maximo adſultantes, recedenteſque, inter eos flamma, fumoq; in coelum exeunte interdiu.* Credis? Cur minus, cum id monſtri viderint, ac teſtati ſint viatorum magna vis, familiae totae, Equites Romani

mani non pauci, quibus omnibus mendacium impingat, qui de ſe alios aeſtimat. Proſequitur Plinius: *Spectante e via Aemilia magna Equitum Romanorum, familiarumq. & viatorum multitudine.* Narrando miraculum auctatur, fitque ijs, qui nihil peregrinum videre ſueti, incredibilius. At quod ſequitur, priore narratu admiſſo confieri prope neceſſe eſt: *Eo concurſu villae omnes eliſae, animalia permulta, quae intra fuerant, exanimata ſunt, anno ante ſociale bellum.* An haec preuidit Iobus, aut paria praenouit? Iobus c. 9. *Qui tranſtulit montes, & neſcierunt hi, quos ſubuertit in furore ſuo. Qui commouet terram de loco ſuo, & columnae eius concutiuntur.* Cap. 28. *Subuertit a radicibus montes.*

Quin aeui quoque noſtri narratiunculam producimus? In Angliae parte, quae propior eſt antiquae Britanniae circa annum Dominicum MDLXXV. terra ita mota eſt vehementer, vt collis e ſuo loco in planiciem, quae alterius erat, pulſus fuerit, & planicies locum, in quo collis erat ante, occuparit. Anno etiam MDLXXXVI. menſe Aprili iuxta Barum amnem in Ibernia arbores nonnullae terrae motu e ſuis locis in alium haud ita procul, emotae ſunt, in quo erant ſpinae: viciſſimque ſpinae in priſtinum arborum locum tranſlatae. Quae duo indigenarum omnium

nium teſtimonio cognita, vulgataque ſunt. Haec ad Apocalypſim B. Ioannis enotauit Ribera. Prorſus ita eſt: quod fieri non potuit, factum numquam eſt: at illud factum eſt: fieri igitur vt potuerit, neceſſe eſt. Ita ſecundo de diuinatione argumentatur Tullius. Neque idcirco, quia fieri potuit, vt concurrant, conflictenturque Symplegades, fuit. Verum ſi & fieri potuit, & plurimorum fides, atque auctoritas patrocinatur, fuiſſe eas, & offenſu mutuo in vndis congreſſas & nos credamus credentibus, aut ridentibus corrideamus. Verba Plinij: *Traditaeque fabulis inter ſe concurrere.* Melae: *Aliquando creditae, dictaeque concurrere.* Vide Lacerda in 3. Aeneïdem.

Horum opinione videri poſſint ſpecioſa vatum mendacia: niſi olim Inſulas pleraſque omnes tranaſſe tradidiſſet Antiquitas, & appellationes dubitationem eximerent. Scholia in Apollonium lib. 4. πλωτὴν δὲ αὐτὴν (dixerat Apollonius πλαγκτὴν Vulcani inſulam) ἢ ὅτι τὸ παλαιὸν αἱ νῆσοι πᾶσαι ἐπλανῶντο, καὶ βάσεις οὐκ εἶχον: *Plotam, ſiue Planctam* (dicamus *nos Vagam, Errabundam, Errantem* cum Marone) *aut quod Inſulae omnes errabant, & fundamento carebant.* Graecis Νῆσοι a *Nando* ſunt Inſulae, quod olim nec fixae, nec certis affixae ſedibus *narent.* Etymologus: Νῆσος ἀπὸ τοῦ Νῶ νήχω, τὸ κολυμβῶ. *Inſulae* Latinis, quod *in ſalo* poſitae.

poſitae. Feſtus: *A ſimilitudine videlicet earum terrarum, quae fluminibus, ac mari eminent, ſuntque in ſalo poſitae.* Ideo *Symplegades* Senecae in Medea dicuntur *Scopuli vagantes.*

Aperiamus haec omnia liquidius, & Macrobij, Pontique glaciem reproducamus, atque in montium faciem figuremus. Quemadmodum in Aegypto limus limo ſuperueniens eam oblimauit, & in terrae ſolidum corpus conformauit auctore Seneca in Quaeſtionibus Naturalibus: & Ariſtotele in Meteoris: ita priorſum molibus in Ponto glaciatis ſeſſitantibus aliae, atque aliae accedentes vndae dulciores adſtringebantur, & in altum ſe erigentes, multiplicantes, & conſpiſſantes montium ſpecimen dabant, aut inſularum: ſic enata velut *Saxa*, *Montes*, *Scopuli*, *Cautes*, *Inſulae* abſque oculorum ludificatione, abſque Poëtarum mendacio, & imperitorum admiratione maxima. Decore Dionyſius Περιηγήσει:

> Κυάνεαι, ὅθι μῦθος ἀναιδέας ἔιν ἀλὶ πέτρας
> Πλαζομένας καναχηδὸν ἐπ' ἀλλήλησι φέρεσθαι.
>
> *Cyaneas, vbi fama eſt cautes audaciter*
> *Errantes, cum fragore inferri inuicem.*

Vbi? Πεπηγότος ἔνδοθι Πόντου: *In Ponto gelu adſtricto.* Cur vero tantas glaciei ſtruices fixas, inuicemque ſuperpoſitas abſq. mendacio montibus non aequemus,

ac componamus, cum citra litem grandia cete montium dicantur ſimulacra? Idem Dionyſius deſcribit Οὔρεσιν ἠλιβάτοισιν ἐοικότα, ac D. Ambroſius inante. Copronymi aeuo Theophanes Iſaurus Abbas ſuis ſpectauit oculis in Cazaria, atque Bulgaria, alijſque adiacentibus regionibus abrupta glaciei fragmenta montium modo abiecta vſque in Propontidem, & inſulas oppleuiſſe, & quibus illiſiſſent muris, eos obtriuiſſe bellicorum tormentorum modo. Idem prodit Anaſtaſius Bibliothecarius. Obſtrepit exemplo de Aegypto Goropius in Niloſcopio, cui Senecae dignitatem obijcimus lib. 6. Quaeſt. Natural. cap. 26. *Turbidus enim defluens limus, multumque ſecum limum trahens, & eum ſubinde apponens prioribus terris, Aegyptum annuo incremento ſemper vltra tulit. Ipſa pinguis, & limoſi ſoli eſt, nec vlla interualla in ſe habet: ſed creuit in ſolidum areſcente limo: quo preſſa erat, & ſedens ſtructura, cum partes glutinarentur, nec quidquam inane interuenire poterat, cum ſolido liquidum, ac molle ſemper accederet.* Ariſtoteles, alijque idem ſenſere. Pariformiter cum aqua dulcior, & fluuialis ad glaciem nouam accederet, vna cogebatur in glaciem, & alia, atque alia ſuperſtructa, enati campi glaciati altius ſeſe extulere, ac montium nantium imaginem expreſſere.

Hos

Hos nos montes *Cautes Cyaneas* fuiſſe opinamur, non ſine turba teſtium. Inante produximus.

Ad earum concurſum regredior. Metamorphoſeos lib. 1.

> ——— *Neſcio qui medijs concurrere in vndis*
> *Dicuntur montes* ——— Val. Flaccus lib. 4.
> ——— *Maria ante ratem, maria ipſa repente*
> *Diffugere, aduerſoſq́ vident deſcendere montes.*

Orpheus in Argonauticis:

> Συμβλῆτες πίπλουσιν ἐπ' ἀλλήλαισιν ἴσ(αι.

Sic vt in ipſo conflictu maris vndas diſcludant:

> *Vnda laborantes praeceps rotat, ac fuga Ponti*
> *Obuia: miſcentur rupes: iamque aequore toto*
> *Cyaneae iuga praecipites illiſa remittunt.*
> *Bis fragor infeſtas cautes, aduerſaque ſaxis*
> *Saxa dedit* ——— Iam coierant: iam diſſiliunt: ——— *Vixdum ardua cautes*
> *Ceſſerat: illa volans* [Argo] *tenui per concita ſaxa*
> *Luce fugit* ——— *Luce tenui*: quam concipiebat interuallum breue relictum a diſſilientibus Cyaneis. Ouid. Eleg. 11. lib. 2.

> *Quae concurrentes inter temeraria cautes*
> *Conſpicuam fuluo vellere vexit ouem.*

 Sido-

Sidonius in Epithalamio:

——— Quo ſaepe receſſu
Sic tanquam toto coëat de lumine coeli
Arctatur collecta dies ———

Flaccus iterum:

Coeperat incedens abductis montibus vnda
Ferre ratem, pelagoq. dies occurrere aperto.

Abducti montes: eaedem *cautes Cyaneae* abſceſſere: reducantur freti more:

Sed neque permiſſis iam fundere rector habenis
Vela, nec eniti remis ope: cum ſuper aſſunt
Cyaneae: premit vmbra ratem, ſcopuliq. feruntur
Comminus ——— Conuentum dirimunt
Hic Iuno, praecepſque ex aethere Pallas
Inſiliunt pariter: ſcopulos hinc nata coërcet,
Hinc coniux Iouis ——— Nec Deus interſit, niſi nodus iudice dignus, Horatij conſilium eſt. Sic in tanta viae difficultate, ac deſperatione interueniunt Pallas, & Iuno. Valerij manum direxit Homerus Odyſſ. M. His belle figurandis ingenij habenas laxauit Auienus in Periegeſi:

Illic inſtabili fama eſt ſale ſaxa moueri,
Inferriq; ſibi flabris vrgentibus oras.
Hic rigidas errare ferunt per marmora cautes
Et nunc ora ſoli vaſtas praetendere rupes,
Nunc aperire ſinum ———

Digitized by Google

Ammianus lib. 22. *Symplegades gemini ſcopuli in vertices vndiq; porrecti diruptos, aſſueti priſcis ſeculis obuiam ſibi cum horrendo fragore colliſis molibus ferri.* Apollonius lib. 2. Ο'ιγομένας ἀγκῶνα, ſinum, flexuram, *cubitum* dixerit Plinius. *Circum Ancona?* Interpretatio carioſa.

Quaeſtio tertia. Quo illae loci? Plin. lib. 6. c. 12. *Inſulae in Ponto Planctae, ſiue Cyaneae, ſiue Symplegades.* Busbequius circa Ponti oras anquiſiuit. Mela lib. 2. c. 7. *Contra Thracium Boſporum duae paruae, paruoq; diſtantes ſpatio, & aliquando creditae, dictaeq; concurrere, & Cyaneae vocantur, & Symplegades.* Atque hic locus animum pellit, vt fuiſſe credam, & impactas inuicem. *Paruae* dicuntur, vt fere noſtrates ad Morinos verſus Flandriae latus, quas vidi, tetigi, iniui. At Poëtae in maius tollunt omnia, ſic vt ἀποτμῆγα σκοπιὴν nominet Argonauticon lib. 2. Apollonius. *Cyaneis* Pontum inſignit Flaccus:

Hinc iter ad Ponti caput, erranteſq; per altum
Cyaneas ——— Priſcianus in Periegeſi:
Threïcius ſequitur poſt Boſporus, oſtia Ponti:
Hoc nullum perhibent terras anguſtius orbis
Eſſe fretum dirimens: hic ſunt Symplegades arctae:
Panditur hinc Ponti Pelagus Titanis ad ortus.

Etymologus : Σκολιὸν πόρον λέγουσι, καὶ τὸν ἀπὸ Βυζαντίου πλόων, ἕως τοῦ στόματος τοῦ Πόντου, ἔνθα εἰσὶν αἱ Κυάνεαι πέτραι: *Curuum ſinum dicunt etiam illam a Byzantio nauigationem aduſque Ponti fauces, vbi Cyaneae rupes.* Homerus vero, vt nullum Siciliae monſtrum deſiat, *Planctas* inter Sirenum regna, & Scyllam, atque Charybdin collocat. Cui haeret Apollodorus lib. I. Μετὰ δὲ τὰς Σειρῆνας τὴν ναῦν Χάρυβδις ἐξεδέχετο, καὶ Σύλλα, καὶ πέτραι Πλαγκταί. *Poſt Sirenas nauem excipiunt Charybdis, & Sylla, atque petrae Planctae.* Vide Homerum Odyſſ. M. principio. Rurſus in Sicilia inſulam *Planctam* Vulcano aedificat Apollon. lib. 3. Argon.

——— Εἰς χαλκῶνα, καὶ ἄκμονας ἦρι βεβήκει
Νήσοιο Πλαγκτῆς εὐρὺν μύχον ———

Ad fabrilem officinam ferrariam, & incudes mane redierat, inſulae Planctae, ſeu Erraticae latum in ſinum. Verum hae Planctae Aeoli a famigeratis illis diuertunt. An & in Ponto, & in Sicilia *Planctas*, ſeu *Symplegadas* geminabimus? Sic duum generum *Cimmerij* ſunt. *Cimmerios* in Italia collocat Strabo l. 5. Feſtus inter Baias, & Cumas. Tamen *Cimmerios* in Ponto collocat Aeſchylus Prometheo:

Ἰσθμὸν δ᾽ ἐπ᾽ αὐταῖς στενοπόροις λίμνης πύλαις
Κιμμερικὸν ἥξεις ———

Ad

Digitized by Google

Ad Iſthmum Cimmericum in ipſis paludis Maeoticae peruenies. Mela lib. 1. c. 2. Supra *Amazonas*, *&* *Hyperboreos*, *Cimmerij*, *Scythae.* Item Strabo lib. 12. Sic campos *Phlegraeos* duobus locis antiquitas adſignauit, quos in Campania, & Thracia Euſtathius in Dionyſium agnoſcit. Polybius lib. 2. ad Capuam Campaniae matrem Phlegraeum ponit, Silius lib. 12. item Plinius lib. 3. c. 5. lib. 28. c. 11. Diodorus libro quarto, additq. poſtea *Cumano* factum nomen petita ab ardore nominis cauſa, Strabo l. 5. & Orpheus. Etymologus vero Thraciae adſcribit: Φλεγραία, ὄρος Θρᾴκης. In Theſprotia, inq. Bruttijs eſt Pandoſia, eſt Acheron Straboni l. 6. & Iuſtino l. 12. *Pandoſiam, amnemq́ Acheruſium praedixerat. Quae vtraque cum in Epiro eſſent, ignarus eadem & in Italia eſſe, ad declinanda fatorum pericula peregrinam militiam cupidius elegerat.* Quibus enotatis cur non locis compluribus *Planctae*, & *Plotae?* Verumenimuero Poëtarum Iupiter Aeolo regnum ſtatuit Odyſſae K πλωτῇ ἐνὶ νήσῳ. —— Aeolum porro Aeoliae, & Siciliae regnatorem ſuſpexit coeca mortalitas. Eo vero loco πλωτὴν ex Ariſtarchi bona mente τῇ φορητῇ, καὶ διον παραφερομένην ἢ συνεχείᾳ σεισμῶν, ἢ ἄλλως ὁπωσοῦν, ὡς ποτὲ μὲν ἐν δεξιοῖς ὁρᾶσθαι μέρεσι, ποτὲ δὲ ἐν ἀριστεροῖς, *Plotam* explicat Euſtathius, *quae ferri queat, & tranferri,*

aut

***aut continuis ſoli tremoribus*, *aut alias quomodolibet: ſic vt nonnunquam detrorſum*, *ſiniſtrorſum nonnunquam*.** Suidas: Πλωτὴ νῆσος, ἡ πλεομένη. Valdius hoc adſtruit Heſychius. Neque enim deerunt, qui Suidam aliter interpretati dicant: *Plote inſula, quae nauigatur*. Sed aliorſum Ariſtarchi trahit auctoritas. Poſiturae diſſeritas admirabilis, & enotanda. Succurrit Dionyſius. Priſcianus Periegeſi:

——— *Dehinc rupes Aeolidarum,*
Quas ſeptem numero perhibent cognomine Plotas,
Quippe vicem ratibus pelago dant vndique vaſto.

Quod quibus non intellectum, ſuppoſitum eſt ab ijs audaciter, *Viam* ſcilicet, vt per ſiccum trahantur, ludantque carinae. Sic eſt, ſaepiſſima vice vidi ſtantes in inſulis noſtratibus ratium in morem huc illuc vehi, tranſuehi, cumque alijs vectus ego ſum, & vagatus. Dionyſius: Ἑπτὰ δὲ οἵ ταίγ' εἰσιν, ἐπώνυμοι ἀνδράσι Πλωταί
Οὕνεκα μέσσον ἔχουσι περίπλοον ἀμφιέλικτον.

Plotas alias demonſtrat Plinius l. 4. c. 12. *Ante Zacynthum XXXV. M. P. in Eurum ventum Strophades duae, ab alijs Plotae dictae.* Eaſdem *Strophades* ante Zacynthum poſuerat Maro Aeneïde tertia:

——— *Strophades Graio ſtant nomine dictae*
Inſulae Ionio in magno ——— Παρὰ τὸ Στρέφεσθαι,

quod *Vertantur*, mutentq. poſituram: *Plotae*, quod *Nauigent*,

Nauigent, & inſtar nauigij in hoc, in illud ferantur latus. Vide Melam lib. 2. c. vltimo, Heſychius ante. Apollonius Rhodius Argonaut. l. 2. de Minyis, qui iureiurando accepto in nauem reuerſi ſunt:

Οἱ δὲ ὅρκῳ εἴξαντες, ὑπέστρεφον ἂψ ἐπὶ νῆα
Σεύεσθαι· Στροφάδας δὲ μετακλείουσ' ἄνθρωποι
Νήσους τοῖόγ' ἕκητι, πάρος Πλωτὰς καλέοντες.

Qui iureiurandum ſecuti, reuerſi iterum ſunt in nauem, vt progrediantur: Quamobrem Strophades [ſeu Rediculas] *poſtea nominarunt homines inſulas, quae prius Plotae* [ſeu Flutantes] *dicebantur.*

Quarto quaeritur, Deſierintne *Symplegades* motari? Quando? Immotae ventos contemnunt, ex quo *Argo* pertranſijt. Indicat Ouidius Metamorphoſeos lib. 15.

——— *Timuit concurſibus Argo*
Vndarum ſparſas Symplegadas eliſarum,
Quae nunc immotae perſtant, ventiſque reſiſtunt.

Liquidius Theocritus Idyllio 13. vbi de *Argo*:

Α'τις κυανεᾶν οὐχ ἥψατο συνδρομάδων ναῦς,
Α'λλὰ διεξᾶιξε, βαθὺν δὲ εἰσέδραμε Φᾶσιν,
Α'ιετὸς ὡς μέγα λαῖτμα· ἀφ' οὗ τότε χοιράδες ἔσταν.

Quae a Cyaneis concurrentibus nauis intacta fuit:

per eas enim media exſilijt, altumque in Phaſim incurrit, aquilae inſtar ſpatium ingens tranantis: ex eo tempore autem Choerades conſtitere. Iutus interpretis: Ἔμειναν δὲ χοιράδες πέτραι ἀκίνητοι. *Manſere rupes Coeherades immotae.* Terrefactae ſcilicet ab Argonautis, & in ſtuporem datae, immotae perſtant. Euanuerunt, ne Busbequio terrorem inferrent. Sidonius Apollinaris in Epithalamio:

——— Vbi forte vagantem
Dum fugit, & fixit trepidus Symplegada Tiphys.

Apollonius Rhodius lib. 2. Argonauticon firmandis rupibus fatum admouet, atque euoluit ſic:

Πέτραι δ᾽ εἰς ἕνα χῶρον ἐπισχεδὸν ἀλλήλῃσι
Νωλεμὲς ἐῤῥίζωθεν· ὃ δὴ καὶ μόρσιμον ἦεν
Ἐκ μακάρων, εὖτ᾽ ἄντις ἰδὼν διὰ νηῒ περήσῃ.

Rupes inuicem coeherentes vnum in locum firmas egere radices, quod fatale diuinitus erat, quando eas quis viuus, videnſque pertranſiſſet. An ea re *priſcis ſeculis* obuiam ſibi ferri ſcripſit Ammianus?

CAPVT

CAP. VI.

Delos, Aſteria, Aſteris, Ortygia, Cynthia, Lagia, Chlamydia, Cynethum, Pyrpile, Anaphe. Delos nauit; ſtetit, Paeninſula fuit. Apollo Aegletes.

CYcladas mobilitate vigere, ac moueri, agiue quis ex illo adfirmet

— *Sparſaſq́ per aequor Cycladas?* —

Spargi poſſunt, quae diſſitis locis affixa ſunt, & immota, vt *Sporades* Melae lib. 2. c. vltimo, & Plinio. Apertius ſingularis Poëtarum antiſtes lib. 8.

——— *Pelago credas innare reuulſas*

Cyclades, aut montes concurrere montibus altis.

Dictae vero Cyclades, *quod omnes ambiunt Delon patriam deorum inſignem*, Ammianus lib. 22. Plin. l. 4. c. 12. Mela ſupra. At Mouentes inter inſulas in maximo honore, & fama *Delos* fuit. Famam natales deorum, gentium hyperborearum veneratio, & primitiae

pepererunt, necnon immanis opum vis: fuit enim *Delos maximum emporium totius orbis terrarum*, teſte Feſto. Ea titulis multiplex. *Aſteria*, *Aſteris*, *Delos*, *Ortygia* nomenclationes ſunt nobiliores; quas attexit Plinius, infrequentiores, nec ideo tacendae. Is lib. 4. c. 12. *Aegloſthenes Cynthiam, alij Ortygiam, Aſteriam, Lagiam, Chlamydiam, Cynethum, Pyrpilen, igne ibi primum reperto. Deli* nomen praecinuerat Strabo lib. 1. Ἀστερία ὠνόμασται, ἣν Ἀστερίδα φησὶν ὁ Ποιητής,

> Ἔστι δέ τις νῆσος μέσσῃ ἁλὶ πετρήεσσα
> Ἀστερὶς οὐ μεγάλη· λιμένες δ' ἐνὶ ναύλοχοι αὐτῇ
> Ἀμφίδυμοι ——

> *Eſt ſcopulis inſtructa mari medio inſula quaedam*
> *Aſteris haud ingens: ſtatio bene fida carinis*
> *Portubus ex geminis* ——

Odyſſ. δ. Apollonij Scholia in lib. 1. Ὕστερον δὲ Ἀστερία διὰ τὸ σχῆμα: *Poſtilla Aſterie figurae cauſa*. Sic *Aſterie* ἀστέρι ἴση Callimacho dicitur, vt ἀλίγκιος ἀστέρι καλῷ quiſpiam Homero. A Pindaro Philone renarrante dicitur τηλέφατον κυανέας χθονὸς ἄστρον. *Eminus conſpicuum nigrae telluris aſtrum*. M. Tullius lib. de Natura D. ponit *Aſteriam* Latonae ſororem, & *A*pollodorus lib. 1. Coei filiam, a qua *Delos* ſic olim nominata, & quae coturnicis habitu ſe in mare dederit fugitans

ſugitans Iouis, cuius ignes lepidiſſime Nonnus ſuſcitat lib. λγ. Dionyſiacωn:

> Οἷά περ Ἀστερίην φιλοπάρθενον, ἣν ἐνὶ πόντῳ
> Πλαζομένην ἐδίωκε παλίνδρομον εἴκελον αὔρῃ
> Ἄστατον ἱππεύουσαν ἀμοιβάδι σύνδρομον αὔρῃ
> Κύμασιν ἀστυφέλικτον ἐνερρίζωσεν Ἀπόλλων.

> *Qualiter Aſterien prae virginitatis amore,*
> *Errantemq́; mari, atque alternis curſibus auras*
> *Aequantem, inſtabilem: dein fluctibus inconcuſſam*
> *Extremis radicibus affirmauit Apollo.*

Nota Ἐνερρίζωσεν Ἀπόλλων, item mox e Callimacho Πρυμνόθεν ἐρρίζωσε, atque in Papinio lib. 5. *Abruptam radicibus Ortygiam.* Similiter Oppianus lib. 1. Halieut.

> —— Διὰ δ' ἴσσυται ὅστις ἄελλα ῥίζας ἁλὸς νεάτην ——

Quae non ſatis conueniunt cum illis Aeneïdos vndecimae: *Extremamq́; ſinu perfundit arenam*: etſi Valerius Flaccus idem Virgilio ſenſerit, & Ouid. l. 1. Triſt. Eleg. 3.

> *Me miſerum, quantis nigreſcunt aequora ventis,*
> *Erutaq́; ex imis feruet arena fretis.*

Olim *Aſteria*; poſterior eſt *Deli* nomenclatio. Callimachus

> —— Οὔνομα δ' ἦν τοι Ἀστερίη τὸ παλαιόν ——

Idem Hymno in Delum:

> Τόφρα δὲ ἔτ' Ἀστερίη σύ, καὶ οὐδέπω ἔκλεο Δῆλος.
>
> *Aſterie cluis interea: tum incognita Delos.*

Ariſtoteles Delon appellitatam prodidit: *quoniam repente apparuit enata*, Plinij vox lib. 4. c. 12. Tunc ſcilicet, cum Iupiter tricuſpide telo montes diuerberans, e fundo imo diuulſas inſulas in mare deuoluit. Canit hoc Callimachi in Delum Hymnus:

> Ἠ' ὡς τὰ πρώτιστα μέγας θεὸς οὔρεα θείνων
> Ἄορι τριγλώχινι, τὸ οἱ Τελχῖνες ἔτευξαν,
> Νήσους εἰναλίας εἰργάζετο· νέρθε δὲ πάσας
> Ἐκ νεάτων ὤχλισσε, καὶ εἰσεκύλισσε θαλάσσῃ,
> Καὶ τὰς μὲν κατὰ βένθος, ἵν' ἠπείροιο λάθωνται
> Πρυμνόθεν ἐῤῥίζωσε ———
>
> *Cum primum montes, terraſq́ tricuſpide telo*
> *(Telchinum quod opus) percuſsit magna Dei vis,*
> *Plurima facta mari medio inſula: ſedibus omnes*
> *Funditus emouit, diuulſaſq́ in mare voluit.*
> *Oblitas terrae quaſdam radicibus altis*
> *Afflixit fundo* ———

Sic de alijs ſanxit: de inſula *Delo* ſciuit aliter: liberam vndarum vagari voluit, cum ſocias firmis veluti compedibus adſtrinxiſſet. Orſa proſequitur Callimachus:

Σὶ

——— Σὲ δ' οὐκ ἔθλιψεν ἀνάγκη,

Ἀλλ' ἀφελὸς πελάγεσσιν ἐπέπλεες ———.

Delum nulla premit dura neceſſitas,

Errabunda vagis fluctibus, & vaga eſt.

Sibylla: Δῆλε σὺ μὲν πλεύσεις, καὶ ἐφ' ὕδατος ἄστατος ἔσῃ.

Inter aquas nabis Dele ſtationis egena.

Tunc ergo *repente apparuit enāta.* Vnde nomen: Δῆλος, ὁ φανερὸς, inquit Etymologus, & Euſtathius in Homerum: *Delius eſt Manifeſtus.* Ab ea *Delius* Apollo. Callimachum clarant iſta Solini c. 17. *Poſt primum diluuium Ogygij temporibus notatum, cum nouem, & amplius menſibus diem continua nox inumbraſſet, Delon ante omnes terras radijs ſolis illuminatam, ſortitamque ex eo nomen, quod prima reddita foret viſibus. Delos* Apollini ſacra, & quidem natalium honore, & ipſe ſol interpretatus, δι' ὃν δῆλα γίνεται τὰ περὶ γῆν. *Cuius ope omnia in terra clareſcunt*, inquit Euſtathius in Odyſſeam Z. Ex hac ſignificantia multa venus in illo Sibylliaco lib. 4.

Δῆλος δ' οὐκέτι δῆλος, ἄδηλά τε πάντα τὰ Δήλου.

Tertio nominata eſt Ortygia. Thebaidos 5. Papinius:

—— *Abruptam credas radicibus ire Ortygiam* ——

Item Strabo lib. 10. Ὠνομάζετο δὲ καὶ Ὀρτυγία πρότερον,

Aeneid. 3. Scholia Pindari in Odam. I. Nemeorum. Heſychius. Odyſſea ς. Feſtus. Hoc nomen daemonis cuiuſdam imitamen eſt : aut verius a vi *coturnicum* magna in eam inuecta inſulam. Coturnices enim Ὄρτυγες, vnde in Exodo Ὀρτυγομήτρα· Ορτυγομῆτρα *dicitur , quae gregem ductitat* , Solin. c. 17. Plura Euſtathius in Odyſſeam Ζ. Ὀρτυγία ἐκλήθη κατά τινας ἀπὸ ὀρτύγων, ὧν τὰς ἀγέλας φερομένας ἐκ τοῦ πελάγους ἱζάνειν εἰς τὴν νῆσον διὰ τὸ αὐτῆς εὔορμον. Mutuatus eſt ex lib. 9. Dipnoſophiſtarum. Solin. c. 17. *In hac primum viſae coturnices aues , quas* ὄρτυγας *Graeci vocant.* Veterrimum fuit hoc nomen. *A*thenaeus: Δῆλον τὴν νῆσον τὴν ὑπὸ τῶν ἀρχαίων καλουμένην Ὀρτυγίαν. *Ortygia* Syracuſarum non eſt huius loci: i ad Verrinas. *Cynthia* a *Cyntho* monte, a quo & *A*pollo *Cynthius*. Inſinuat Homerus Hymno in *A*pollinem de Latona enixuriente:

Κλινθεῖσα πρὸς Κύνθου ὄρος κραναῇ ἐνὶ νήσῳ
Δήλῳ ἐν ἀμφιρύτῃ ———

Acclinata Cyntho monti aſpera in inſula
Delo , quam vndique cingunt aquae.

Plinius : *Adſurgit Cyntho monte.* Qui Hymnus *Ortygiam* a *Delo* diuertit. In *Ortygia* Dianam continet enatam , in *Delo A*pollinem Verſus eſt:

Τὴν μὲν ἐν Ὀρτυγίῃ, τὸν δὲ κραναῇ ἐνὶ Δήλῳ:

niſi ſi vnius rei variauit nomina. *Lagia* cum *Delos* dicitur,

dicitur, facile eſt interpretari, ac ſi *Leporariam* dicas. Athenaeus lib. 1. c. 24. Λαγοῦσαι νῆσοι ἀπὸ τῶν ἐν αὐταῖς λαγῶν: *Laguſſae inſulae a leporibus, qui in eis.* Nec obſcura coniectura: Diana venatrix eſt. Diſertim Solinus c. 17. *A venatibus Lagia, vel Cynetho.* Plinius *Cynethum* figurauit. Reſcribit in Exercitationibus Plinianis vir elegantiſſimus *Cynaetho*, *Chynethus* apud Plinium. Renuto. Nomenclationem namque a *Canibus alendis* ortam ariolor, ὅπου κύνες ἔθονται, *Vbi canum cubilia.* Vetus verbum eſt ex ſupellectile Dorica:

Α'ιεὶ πίνοντες βατράχων τρόπον, οὐδὲν ἔδοντες.

Semper potantes, vt ranae, nil comedentes.

Atque etiam vſitato iam more per Belgium nobiles viri pagatim alendorum canum agmina ruſtribus commendant. Verum has omnes coniecturas inanes eſſe declarant illa Dioniſij Halicarnaſſei lib. 1. *Antiquitatum Romanarum*: Τῶν ἑταίρων τινὰ τῶν Α'ινείου Κίναιθον ἐπὶ τῶν ἀκρωτηρίων ἑνὸς θάπτουσιν, ὃ νῦν ἀπ' ἐκείνου Κιναίθιον καλεῖται. *Quendam ex Aeneae ſocijs Cinaethum in vno promontoriorum ſepeliunt, quod nunc ab eo Cinaethium vocatur.* *Chlamydia* eadem dicta a *Chlamydis*, opinor figura. Sic eloquitur Strabo lib. 2. Η' δὲ οἰκουμένη χλαμυδοειδὴς ἐν τούτῳ νῆσος. *Terram in vniuerſo eſſe Chlamydiam, ſeu Chlamydis imagine inſulam.*

I *Cynethi*

Cynethi nomenclatio nondum mihi ſatis inclaruit. *Pyrpile , igne ibi primum reperto* , inquit Plin. Quod ſi verum : quia ignis cumprimis vſibus humanis eſt neceſſarius principem iſtam exiſtimem appellationem. Solin. c. 17. *Pyrpóle etiam : quoniam & ignitabula ibi, & ignis inuenta ſunt..* Hactenus nomina , & in eorum occaſione *Delon erraticam* Callimachi manu agnouimus. Sic eam inſignit Ouidius in 6. Metam.

——— Tunc cum leuis inſula nabas.

Idem lib. 15.

Sic alias , aliaſque lacus , & flumina vires
Concipiunt : tempuſque fuit , quo nauit in vndis,
Nunc ſedet Ortygie ———

Alijs libris eſt *Nouit* , ab eo effictum mendum , cui pro impoſſibili fuit Ortygiam *nare*. Quid ſi τὸ *Nauit* gloſſema quoque illius ſit , cui ignoratum quid eſſet *Mouit in vndis* , cum *Mouiſſe terram* in Liuio non ſit infrequens ? Sibylla lib. 7. qualem hodie Sibyllinorum digeriem circumferunt :

Δῆλε σὺ μὲν πλεύσεις, καὶ ἐφ' ὕδατος ἄστατος ἔσῃ.

Inſtabilis Delos medijs errabis in vndis.

Pindari os magnum :

Ἦν γὰρ τοπάροιθεν φορητὰ
κύμασί τε παντοδαπῶν ἀνέμων ῥιπαῖσιν.

Flatibus omnigenis ventorum , & fluctibus olim
Delos erat labunda ——— In

In hoc Latij, atque Helladis Poëtae conſpirant, & Philoſophi refragante Seneca lib. 6. qq. Natur. *Hanc* [Delum] *philoſophi quoque credula natio dixerunt moueri auctore Pindaro.* Reſcripturiunt *Non moueri*, quod terris, inſulis, ſaxiſque commune eſt, & communiter notum: non *Delo* peculiare. Aliud ſapientes dixere, & ſapientia quidem ſua dignum. Praeterea ſi ſapientes dicunt *Non moueri*, & ſapienter dicunt, cur a Seneca ridentur, cur exploduntur? *Moueri* prius dixit Pindarus, & Strabo in decimo: poſterius *Non moueri*, cum ſtabili quiete fuit ab Apolline donata. Ergo poſt longos tandem errores ſtetit Delos fixa, & fluctuari deinceps neſcia. Statius Thebaidos 7.

——— Potuit Latonia frater
Saxa (nec inuideo) defigere Delon, & imis
Commendare fretis ———

Pindari os: χθονὸς εὐρείας ἀκίνητον τέρας: *Latae telluris prodigium immotum.* Nonnus Dionyſiacon lib. 33.

Κύμασιν ἀσυφέλικτον ἐνεῤῥίζωσεν Ἀπόλλων:

Fluctibus immotam Delon fundauit Apollo.

Ecquando? In Latonae partione. Sidonius Carmine 6.

Fixura errantem Cyclada pignoribus.

Cyclada, Delon: *Pignoribus*, Apolline, ac Diana: Seneca Agamemnone:

Tu maternam ſiſtere Delon Lucina iubes —— Claudianus:

—— *Haeſit Apollineo Delos Latonia partu.*

Statius lib. 8. — *Partuq; ligatam Delon* —— Floride Regillianus:

Delos iam ſtabili reuincta terra,
Olim purpureo mari natabat,
Et moto leuis hinc, & inde vento
Ibat fluctibus inquieta ſummis.
Mox illam geminis Deus catenis,
Hac alta Gyaro ligauit, illac
Conſtanti Myconae dedit tenendam.

Hos verſus Petronio tribuunt alij. Porro quamuis *Delos iam ſtabili reuincta terra*; a tremore non fuit prorſus libera. Plinius de ea: *Longe clariſsima Cycladum media, templo Apollinis, & mercatu celebrata Delos: quae diu fluctuata, vt proditur, ſola terrae motum non ſenſit ad M. Varronis aetatem. Mutianus prodidit bis concuſſam.* Huc refer nobilem paroemiam Herodoto lib. 6. Euſtathio in Dionyſium notatam:

Κινήσω

Κινήσω ποτὲ Δῆλον, ἀκίνητόν περ ἐοῦσαν.

Delos quantumuis immota mouebitur a me.

Deli membrum quoddam Τρέμων a *Tremore*, ac motitatione nomen inuenit apud Lycophronem teſte Euſtathio ad Odyſſeam quartam. Seneca l. 6. c. 25. *Thucydides antea quidem immotam fuiſſe: ſed circa Peloponneſiacum bellum tremuiſſe.* Calliſthenes alio quoque tempore ait hoc accidiſſe: *Inter multa prodigia, quibus denunciata eſt duarum vrbium Helices, & Buris euerſio, fuere maxime notabilia, columna ignis immenſi, & Delos agitata.* Haec Seneca. Ex inſula tandem euaſit paeninſula: Pindari Scholia: Ἡ δὲ Ὀρτυγία πρότερον μὲν οὖσα νῆσος, εἶτα προσχωσθεῖσα χερρόνησος γέγονε. *Ortygia primitus cum eſſet inſula, affuſo deinde aggere, paeninſula fuit.*

Verum amabo Plinij metas licet perrumpere, aut erumpere? Nobiliſſimum quoque Deli nomen fuit *Anaphe*, Plinio tacitum in commemoratione Deli. Philo Iudaeus lib. de Incorruptione mundi, quo mare imminui ſtatuat, inſulas Rhodum, ac Delum producit, tum *Anaphes* vocabulum. *Namq; Rhodus, ac Delus*, inquit, *olim e conſpectu ablatae, diluuio in mari merſae ſunt: ſecutis deinde temporibus cum mare ſenſim minueretur, paulatim emerſerunt, vti ſcriptae de illis hiſtoriae indicant.*

Vtque ex apparitione Deli nomenclatio: ſic *Anaphes* ἐκ τοῦ ἀναφανῆναι clamitantibus alijs, atque alijs Ἀνέφη, Ἀνάφη corrumpentes ſubito gaudio τὸ Ἀνεφάνη, ſicut in Verrinis Ἐδικώθησαν pro Ἐδικαιώθησαν concidit vulgi cacoëthes. Procedit Philo: Τὴν δὲ Δῆλον, καὶ Ἀνάφην ὠνόμασαν, δι' ἀμφοτέρων ὀνομάτων πιςούμενοι τὸ λεγόμενον, ἐπειδὴ ἀναφανεῖσα δήλη ἐγένετο, ἀδηλουμένη, καὶ ἀφανὴς οὖσα τὸ πάλαι:

Delon Anaphen quoque dixere, vtraque appellatione, quod dicebamus adſtruentes, quandoquidem Dele, ſeu Manifeſta [Ἀνάφη] *apparuit, prius obſcura, oculiſq; ſubducta. Anaphen* alteram Lemnum inter, & Helleſpontum memorat Plinius l. 2. c. 87. eamque Delo minorem: ſed quae pari fato emerſerit, quod qua ratione euenerit, Conon narratu 49. in Photij bibliotheca docet. *In Anaphe inſula (haec ſupra inſulam Theram eſt, non procul Lacedaemone) templum Apollinis Aegletae rectum eſt, in quo indigenae cum irriſu ſacra faciunt tali de cauſa. Iaſon ex Colchide Medea rapta domum nauigabat: tempeſtas inexplicabilis circumfunditur, nec ad rem conſilij quidquam. Vota facientibus, multumq; orantibus Argiuis, arcu ſupra ipſos elato ab aduerſis expedit omnibus Apollo: Tum erumpente coelitus lumine, de fundo tellus inſulam porrexit, in quam appulſi Argonautae, ab euentu,*

quod

Digitized by Google

quod primum iam ſub ſole conſpecta eſſet, Anaphen dixere, & Apollini Aegletae templum erexere, ac inſperato infortunijs erepti, conuiuijs, & laetitijs diffluebant. Medea cum ſuis mulieribus, quas ab Iaſone nuptiarum cauſa acceperat, ebriae, ludibundae per noctem ſcommatis heroas excipere, illi pari dicacitate referre, ac referire. Ex illo igitur Anaphes populus (habitata namq; eſt inſula) quotannis Apollini Aegletae horum exemplo feſtum diem mutuis agitant conuiuijs. Haec ipſa videtur *Anaphe* relata Plinio lib. 4. c. 12. qui nec procul Thera eam collocat. De hac *Anaphe* Callimachum excitat Strabo lib. 10.

Αἰγλήτην, Ἀνάφην τε Λακωνίδι γείτονα Θήρῃ:

Aegleten, atque Anaphen Therae Laconicae vicinam:

De proximitate Scylax Caryandenus in Periplo: Κατὰ δὲ ταύτην Θήρα, κατὰ δὲ ταύτην Ἀνάφη, κατὰ δὲ ταύτην Ἀστυπάλη Concinit his Apollonius Argonauticon lib. 4.

—— Αἰγλήτην μὲν ἐΰσκόπου εἵνεκεν αἴγλης.
Φοῖβον κεκλόμενοι· Ἀνάφην δέ τε λισσάδα νῆσον
Ἴσχον, ὃ δὴ Φοῖβος μὲν ἀτυζομένοις ἀνέφηνε.

Perſequitur deinde de reciprocis dicterijs, deque Medea: tu ſi voles, perlege. Mantiſſa eſto ex Aeliani

Politijs:

Digitized by Google

Politijs: Ῥόδον τὴν νῆσον τὸ παλαιὸν κεκρύφθαι λέγουσιν ὑπὸ τῆς θαλάσσης, ἀναφανῆναι δὲ ὕστερον ξηρανθεῖσαν: *Rhodum inſulam olim ſub mari latuiſſe ferunt, poſt vero inducta ſiccitate emerſam paruiſſe.*

CAP. VII.

Orchomenius lacus. Characia, Plotia arundo. Characometes, Arundo Indica. Plotia cur ſubtilior. Vineae characatae. Exſpatians lacus. Ploades inſulae ad Orchomenum, atque in Aegypto maximae, in quibus apri.

O*Rchomenium lacum* ſubobſcuris, ac ſemiconſpicuis veſtigijs fluitaſſe, ac naſſe comperior in Plinio, vbi de arundinum ortu, ingenio, differitate agit lib. 16 c. 36. *De Orchomenij lacus arundinetis accuratius dici cogit admiratio antiqua. Characiam vocabant craſsiorem, firmioremque:* Theophraſtus de hiſtoria Plant. lib. 4. c. 12. Καλοῦσι δὲ τὸν

ἰσχυρὸν,

Digitized by Google

ἰσχυρὸν, καὶ παχὺν χαρακίαν. *Validam, craſſamque arundinem Characiam dicunt. Plotiam vero ſubtiliorem: hanc in inſulis fluitantibus natam: illam in ripis exſpatiantis lacus.* Vnde *Admiratio?* Quod *Flutantium inſularum* cauſas non ſunt penitus rimati: quod ex cauſarum ignoratione minus fidei externae narrationi commodarunt. *Lacus Orchomenius* duum generum arundinem producebat, *Characiam*, & *Plotiam. Characia* fuit ea firmitudine, quae ſuris, valliſque figendis apta, vnde appellatio: χάραξ enim *Vallus* eſt. Id genus arundo firma, & longa palandis quoque vitibus fuit. D. Cyprian. epiſt. 1. *Vbi dum erratici palmitum lapſus nexibus pendulis per arundines baiulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerunt.* Lib. 9. Baſſaricon arundo dicitur Ἡμερίδων σήριγμα, & lib. 24. late deſcribitur. Exinde Columellae lib. 5. c. 5. *Vineae characatae.* Ad hoc genus refer ſcriptum D. Matthaeo c. 27. *Continuo currens vnus ex eis, acceptam ſpongiam impleuit aceto: & impoſuit arundini, & dabat ei bibere.* Miles opinor aliquis, cui in vſum caſtrenſem arundo Characia ad manum. Alius quoq. apud Athenaeum fluuius comantem pariebat arundinem *Characiam*, vnde pago nomen *Characometes.* Taceamne arundinem Indicam? De ea Cteſias: Πάχος μὲν ὅσον δύο ἄνδρε περιωργυιωμένοι, περιλάβοιεν· τὸ δὲ ὕψος, ὅσον μοριοφόρου νεὼς ἱστός.

 Tantum

Tantum miraculum, norint omnes: *Craſsitudo*; *quantam viri duo porrectiſsimis brachijs amplectantur: altitudo, quanta mali in naui decies mille homines ferente. Addit maſculam arundinem emedullatam, & valentiſsimam.* Apud Theophraſtum maſcula ſolida eſt: non emedullata, non vacua: & quae huiuſmodi non eſt valentiſſima, Vide l. 4. hiſt. Plant. c. 12. Quid quod Strabo lib 15. per vlnas tricenas, & quinquagenas arundines porrigat? In eadem India nauigiorum vices ſubit arundo. Solinus c. 65. *Quae paluſtria ſunt, arundinem creant ita craſſam, vt fiſsis internodijs lembi vice vectitent nauigantes.* ſed paucos. Pomponius Mela l. 3. c 7. *Arundinum fiſſa internodia veluti nauiculae nauitas binos, & quaedam ternos etiam vehunt.* Adeo non mirum in Orchomenio lacu arundinem naſci *Characiam*, & qua inſigniter etiam militia iuuetur. *Plotiae* nomenclatio ex eo eſt, quod ad lacum *Plotum* pertineat. Scio *Exſpatiandi* verbum ad rerum magnitudinem deſignandam referri quandoque, vti etiam *Spatioſum*; & quidem abſque motu vllo: verum cum *Lacus exſpatians*, & *Inſulae fluitantes* dicuntur, ecquid fingas aliud, quam per *Spatium* ex loco motitari? Has ad Orchomenum inſulas πλοάδας ſubinde Theophraſtus appellitat. Lib. 4. hiſt. Plant. c. 11. Εἰσὶ γὰρ τινες ἐνταῦθα πλοάδες, ὥσπερ ἐν

Αἰγύπτῳ

Α'ιγύπτῳ περὶ τὰ ἕλη, καὶ ἐν Θεσπρωτίδι, καὶ ἐν ἄλλαις λίμναις: *Sunt & hic* [ad Orchomenum] *Ploades* [ſeu Nauigantes inſulae: namque plenaria oratio fuerit πλοάδες Νῆσοι] *quemadmodum in Aegypto circa paludes, in Theſprotia, aliiſq; lacubus*. Ex eiuſdem narratu his in inſulis arbores, & materiae, ſalix, oleagnus, ſida, arundo tibialis, & alterius generis, gladiolus, phleum, tipha, menſiflora, icma, ipnum, de quibus ſingulatim Theophraſtum conſule, cuius & haec ſunt eiuſdem libri capite 13. Τῶν δὲ νήσων τῶν πλοάδων τῶν ἐν Ο'ρχομενῷ παντοδαπὰ τυγχάνει, τὸ δὲ μέγιστον αὐτῶν ἐστιν ὅσον τριῶν σαδίων τὴν περίμετρον: *Sunt ad Orchomenum inſulae Ploades omne genus, quarum quae maxima, tria ſtadia in circuitu obtinet*. Subſequitur inibi: Ε'ν Α'ιγύπτῳ δὲ μεγάλαι σφόδρα συνίστασθαι, ὥστε καὶ ὗς ἐν αὐταῖς ἐγγίνεσθαι πολλούς, οὓς καὶ κυνηγετοῦσι διαβαίνοντες. *In Aegypto magnae admodum eiuſcemodi conſtant inſulae, in quibus apri valeant innaſci, quos viatores venantur*. Alluſit ad Orchomenias *Ploadas* Nonnus lib. 24. Baſſar. Καὶ χορὸν ὠρχήσαντο χορητίδες Ο'ρχομενοῖο. Vnde & *Saltuares* hae vocari queant. De Arundine Iugali, deq. Bombycina habes apud Theophraſtum lib. 4. hiſtor. Plant. c. 12.

CAP. VIII.

Chemmis. Cum Herodoto diſputatum. Chemmi nante nat ſilua, nat templum.

C*Hemmis* pari ingenio eſt, & flutantium inſularum honore gloriatur. De qua Herodotus lib. 2. Νῆσος ἡ Χέμμις καλεομένη· ἐστὶ μὲν ἐν λίμνῃ βαθέῃ, καὶ πλατέῃ κειμένη, παρὰ τὸ ἐν Βούτοι ἱρόν· λέγεται δὲ ὑπ' Αἰγυπτίων αὕτη ἡ νῆσος εἶναι πλωτή: *Inſula Chemmis vocitata in profundo, & ſpatioſo iacens lacu propter templum Buticum. Dicitur haec inſula ab Aegyptijs nare.* Aegyptiorum ſenſum exprimit, quibus ipſe diuerſior. Attexit enim: Αὐτὸς μὲν ἔγωγε οὔτε πλέουσαν, οὔτε κινηθεῖσαν εἶδον. *Ego ipſe*, inquit *neque nantem vidi, neque motam.* Tum Herodotus homo alioqui leuifidus quaſi circumſpectior, aut Iouis ignibus ictus ait: Τέθηπα δὲ ἀκούων, εἰ νῆσος ἀληθέως ἐστὶ πλωτή. *Obſtupui audiens* [non Ἀκούσας, *vt audij: ſed illico*] *ſi forte inſula vere natitaret.* Tum in ea templum ingens

ingens Apollinis ſtatuit cum aris triplicibus, palmas frequentes, arbores frugiferas alias, alias nec frugi. Tandem vetere Graecorum fabula narratus finitur. *Chemmios* meminit & Euſtathius ad Odyſſeam quartam. Mela lib. 1. c. 9. *In quodam lacu Chemmis inſula lucos, ſiluaſque, & Apollinis grande ſuſtinens templum natat, & quocumque venti agunt, pellitur.* Vide cap. 13.

CAP. IX.

Nat Cutiliarum inſula. Aura impelpellitur. In ea arbuſculae. Commotia nympha.

AD *Cutilias aquas opaca ſilua, quae nunquam die, ac noctu eodem loco viſitur.* Haec Plin. lib. 2. c. 95. inſcripto: DE INSVLIS SEMPER FLVCTVANTIBVS. Macrobius lib. 1. c. 7. *Acceptaq; ſorte cum Latium poſt errores plurimos appuliſſent, in lacu Cutilienſium natam inſulam deprehendunt. Ampliſsimus enim*

caeſpes , ſiue ille continens limus ; ſeu paludis fuit , coacta compage virgultis , & arboribus in ſiluae licentiam comtus , iactantibus per omne mare fluctibus vagabatur. Vt fides etiam ex hoc Delo facta ſit, quae celſa montibus , vaſta campis , tamen per maria migrabat. Hoc igitur miraculo deprehenſo. Datum prius Pelaſgis oraculum , ibi ſedes ponerent, ὀυ νῆσος ὀχεῖται , *Vbi inſula vehitur.* Quam alta terra conſtet haec inſula *Cutilia* , quodue eius pondus , accipe ex Dionyſio Antiq lib. 1. Ὑπερανέστηκε δὲ τοῦ νάματος ὀυ πλεῖον , ἢ ποδιαῖον ὕψος. *Nec plus pede ſuperemi-net fluctibus.* Similiter *Aënſes* terrae Morinorum. Ἀνίδρυτός ἐστι , καὶ περινήχεται πολλαχῆ , δινοῦντος αυτὴν ἄλλοτε κατ' ἄλλους τόπους τοῦ πνεύματος. *Inſtabilis eſt , per ſpatia circumquaque nat , huc illuc eam pellente ſpiritu.* Vt belle congruit cum his Macrobius. χλοὴ δὲ τις ἐν αὐτῇ φύεται βουτόμῳ προσεμφερὴς, καὶ θάμνοι τινες ὀυ μεγάλοι: *In ea gramen quoddam butomo ſimile prouenit , & dumi quidam non magni.* Clauſula ſumma haec : Πρᾶγμα κρεῖττον λόγου τοῖς ἀθεάτοις , ὧν ἡ φύσις δρᾷ , καὶ θαυμάτων ὀυδενὸς δεύτερον: *Res ſupra eorum captum, qui naturae opera non contemplantur , & nullo miraculo inferior.* Seneca lib. 3. Natur. Quaeſt. cap. 25. *Ipſe ad Cutilias natantem inſulam vidi.* Mox: *Cutiliarum inſula, & arbores habet, & herbas nutrit : tamen aqua ſuſtinetur:*

netur : & in hanc, atque illam partem non tantum vento impellitur; *ſed & aura*. Inquies profecto inſula. Ibidem : *Nec vnquam illi per diem , & noctem in vno loco ſtatio eſt : adeo mouetur leui flatu*. Plin. lib. 3. cap. 12. *In agro Reatino Cutiliae lacum , in quo fluctuetur inſula , Italiae vmbilicum eſſe Marc. Varro tradit*. Reate, Cutiliaſque vicinas agnoſcunt hic Plinius, Strabo lib. 5. Liuius lib. 26. Idem Marc. Varro lib. 4 de LL. videtur *Commotiam* lacui commouendo praeficere, vt coeli conuerſionibus genios alligant. *Nymphae Commotiae*, inquit, *ad lacum Cutilienſem a Commotu : quod ibi inſula in aqua commouetur*. Magnam, ſingularemque dignationem affert aquis Cutilijs Plinius lib. 31. cap 6. *Bituminata , aut nitroſa , qualis Cutilia vtilis eſt bibendo , atque purgationibus. Plerique in gloria ducunt plurimis horis perpeti calorem earum , quod eſt inimiciſſimum*. Ita immoderatio omnis noxia , maxime circa potum Cutiliarum , quod latius inibi exſequitur Plinius. *Cotiliae* ſcriptum eſt antiquis. Feſtus: *Cotiliae lacus appellatur , quod in eo eſt inſula Cotilia nominata a Graecis*. Strabonis lib. 5. non recte : Ε'ν Κωτισχολίαις ψυχρὰ ὕδατα: *In Cutilijs aquae algidae*. Niſi ſi & *Cutilijs* aquis ambigui fontes, vt apud Scamandrum Iliad.

Iliad. X. ——— Ἔνθα δὲ πηγαὶ
Δοιαὶ ἀΐσσουσι Σκαμάνδρου δινήεντος.
Ἡ μὲν γάρ θ' ὕδατι λιαρῷ ῥέει, ἀμφὶ δὲ καπνὸς
Γίνεται ἐξ αὐτῆς ὡσεὶ πυρὸς αἰθομένοιο.
Ἡ δ' ἑτέρη θέρει προρέει εἰκυῖα χαλάζῃ,
Ἢ χιόνι ψυχρῇ, ἢ ἐξ ὕδατος κρυστάλλῳ.

Qua duo latiſlui fontes in parte Scamandri
Erumpunt: quorum calidiſſimus altèr ad auras
Exhalat fumi nebulas, incendia quales
Fundere ſaepe ſolent: ſummo fons alter in aeſtu
Frigidus vſq. adeo eſt, vt frigora grandinis aequet
Et niuis, & gelido glaciei ex amne creatae.

At quis mihi auctor idem de Cutilijs ſpondeat?.

CAP. X.

Mouent Saltuares, ſeu Lydiae. Conto, cantuue actae inſulae. Duae inſulae nemora circumuectant.

AD *Saltuares*, ſiue *Lydias*, ſiue *Ludias* ſaliendum. Tangit has Seneca lib. 3. cap. 25. qq. Natur. *Inſulae in Lydia natant*. Martianus Capella: *In*

In Lydia nympharum inſulas dicunt, quas etiam recentior adſerentium Varro ſe vidiſſe teſtatur, quae in medium ſtagnum a continenti procedentes cantu tibiarum primo in circulum motae, dehinc ad litora reuertantur. Varro lib. 3. c. 17. de RR. *Sacri ſunt, ac ſanctiores, quam illi in Lydia, quos ſacrificanti tibi Varro ad tibicinem Graecum gregatim veniſſe dicebas ad extremum litus, atque aram, quod eos capere auderet nemo, cum eodem tempore inſulas Ludianorum ibi* χορȣ́σας *vidiſſes.* Ὀρχούσας Salmaſ. in Plinianis p. 125. Inibi reſcribit: *Ludiano ritu.* Turnebus animaduerſo Graeculam diſconuenire vocem, aut eſſe nihili, corrigebat lib. 4. c. 6. ſic: *Inſulas Lydorum ibi, concuſſas vidiſſes.* Parum eſt *Concuſſas*: fixa, & ignaua poſſunt concuti. Alij χορήτιδας: Cognatum magis fuerit χορευούσας, *Saltitantes*: namque a *Saltu Saltuares* appellitarunt. Plin. lib. 2. c. 95. *Sunt & in nymphaeo paruae, Saltuares dictae: quoniam in ſymphoniae cantu ad ictus modulantium pedum mouentur.* Ibidem: *In Lydia, quae vocantur Calaminae, non ventis ſolum, ſed etiam contis, quo libeat impulſae, multorum ciuium Mithridatico bello ſalus. Calaminas*, & *Saltuares* diuerſas

facit Salmaſius, vocatque *Saliares:* cur non a *Saltu Saltuares*? Meminit Breſlaeus lib. I. c. 57. Pergit dicere Plinius: *In Tarquinienſi lacu magno Italiae duae* [inſulae] *nemora circumferunt, nunc triquetram figuram edentes, nunc rotundam complexu ventis impellentibus, quadratam nunquam.* Haec in iſtius capitis pede: illa in capite: *Quaedam inſulae ſemper fluctuant, ſicut in agro Caecubo, & eodem Reatino, Mutienſi, Statonienſi, in Vadimonis lacu*, quo ſuper vberius proxime dicimus. *Calaminae* a *calamis*, ſeu arundinibus, vt opinor, vt Καλαμῖναι χεδίαι. Iſidoro apud Athenaeum nauiculae, ex arundinibus factae. Feſtiua ſunt haec Sotionis: Ἐν Λυδίᾳ ἐςὶ λίμνη Καλαμίνη καλουμένη, ἱερὰ δὲ ὄυσα νυμφῶν, ἣ φέρει καλάμων πλῆθος, καὶ μέσον αὐτῶν ἕνα, ὃν βασιλέα προσαγορεύουσιν οἱ ἐπιχώριοι· θυσίας δὲ, καὶ ἑορτὰς ἐπιτελοῦντες ἐνιαυσίους ἐξιλάσκονται, τούτων δὲ ἐπιτελουμένων, ἐπειδὰν ἐπὶ τῆς ἠϊόνος κλύπος συμφωνίας γένηται πάντες, οἱ κάλαμοι χορεύουσι, καὶ ὁ βασιλεὺς σὺν αὐτοῖς χορεύων παραγίνεται ἐπὶ τὴν ἠϊόνα. Hiſce verbis emendatio noſtra fulcitur. Latine: *In Lydia palus eſt Calamina nomine Nymphis ſacra, quae magnam calamorum vim profert, atque in meditullio Calamum, quem indigenae Regem dicunt. Sacrificijs, feſtiſque agitatis numima propitiant,*

quibus

quibus perfectis ſimulac cantus ſonores ad litus pertigerint, omnes calami tripudiant, & rex cum eis tripudio litus petit. Qui pote? Audi cordate Lector, ὦ ταχυπειθής. Ne putes calamos ſedibus ſuis elocatos ſaltitare, ſed terrae caeſpites, & portiunculas calamis amictas tripudio moueri inſtar aliarum ob cauſas inferioribus capitibus reuelandas. *Mantiſſa* ex Solini c. 11. *In Haleſina regione fons alias quietus, & tranquillus, cum ſiletur: ſi inſonent tibiae, exultabundus ad cantum eleuatur, & quaſi miretur dulcedinem vocis, vltra margines intumeſcit.* Priſcianus:

Tibia quem extollit cantu, ſaltare putatur
Muſicus, & ripis laetans excurrere plenis.

C A P. XI.

Vadimonis lacus fluctuatur apud Plinios. Propter Patauium ad Aponum Terra flutat.

Plinius lib. 2. c. 95. *In Vadimonis lacu opaca ſilua, quae nunquam die, ac noctu eodem loco viſitur.* Plinio altero nemo deſcripſit vberius, curatius nemo lib. 8. Epiſtolarum.

C. Plinius Gallo ſuo S.

AD quae noſcenda iter ingredi, tranſmittere mare ſolemus: ea ſub oculis poſita negligimus: ſeu quia ita natura comparatum, vt proximorum incurioſi longinqua ſectemur: ſeu quod omnium rerum cupido langueſcit, cum facilis occaſio eſt: ſeu quod differimus tanquam ſaepe viſuri, quod datur videre,

videre, quoties velis cernere. Quacumque de cauſa permulta in vrbe noſtra, iuxtaque vrbem non oculis modo, ſed ne auribus quidem nouimus, quae ſi tuliſſet Achaïa, Aegyptus, Aſia, aliaque quaelibet miraculorum ferax, commendatrixque terra, audita, perlecta, luſtrataq; haberemus. Ipſe certe nuper, quod nec audieram ante, nec videram, audij pariter, & vidi. Exegerat proſocer meus, vt Amerina ſua praedia inſpicerem. Haec perambulanti mihi oſtenditur ſubiacens lacus nomine Vadimonis: ſimul quaedam incredibilia narrantur: perueni ad ipſum. Lacus eſt in ſimilitudinem iacentis rotae circumſriptus, & vndique aequalis: Nullus ſinus, obliquitas nulla, omnia dimenſa paria, & quaſi artificis manu cauata, & exciſa. Color coeruleo albidior, viridior, & preſſior, ſulphuris odor, ſaporque medicatus: vis, qua fracta ſolidantur. Spatium modicum, quod tamen ſentiat ventos, & fluctibus intumeſcat. Nulla in hoc nauis (ſacer enim eſt) ſed innatant inſulae herbidae, omnes arundine, & iunco tectae, quaeque alia foecundior palus, ipſaque illa extremitas lacus effert. Sua cuique figura, vt modus: cunctis margo deraſus: quia frequenter vel litori, vel ſibi illiſae terunt, teruntur que. Par omnibus altitudo, par leuitas: quippe in ſpeciem carinae humili radice deſcendunt. Haec

ab omni latere perſpicitur: eadem aqua pariter ſuſpenſa, & merſa: interdum iunctae, copulataeque, & continenti ſimiles ſunt: interdum diſcordantibus ventis digeruntur: nonnunquam deſtitutae tranquillitate ſingulae fluitant: ſaepe minores maioribus, velut cymbulae onerariae, adhaereſcunt: ſaepe inter ſe maiores, minoreſque quaſi curſum, certamenque deſumunt. Rurſus omnes in eundem locum appulſae, qua ſteterunt, promouent terram, & modo hac, modo illac lacum reddunt, auferuntque, ac tum demum, cum medium tenuere, non contrahunt. Conſtat pecora herbas ſecuta, ſic in inſulas illas, vt in extremam ripam procedere ſolere, nec prius intelligere mobile ſolum, quam litore abrepta, quaſi illata, & impoſita circumfuſum vndique lacum pauent. Mox quo tulerit ventus, egreſſa non magis ſe deſcendiſſe ſentire, quam ſenſerint adſcendiſſe. Idem lacus in flumen egeritur, quod vbi ſe paulıſper oculis dedit, ſpecu mergitur, alteq. conditum meat: ac ſi quid ante, quam ſubduceretur, accepit, ſeruat, & profert. Haec tibi ſcripſi, quia nec minus ignota, quam mihi, nec minus grata credebam. Nam te quoque, vt me, nihil aeque, ac naturae opera delectant. Vale.

Seneca claudat hoc caput lib. 3. Natur. qq. c. 25. *Alia* [inſula] *in Vadimonis lacu vehitur: alia in lacu Statonienſi.*

Clau-

Claudianus in Aponi deſcriptione:

Et leuis exili cortice terra natat,
Calcaturque oneri nunquam ceſſura virorum.
Suſtentat trepidum fida carina pedem.

Inuſitatam, ſibique incognitam terram nare conſpicatos primulum horror, & quaedam inuadit trepidatio, iniuria: terra nans fida eſt, non minus quam *carina*. Haec Poëtae mens.

CAP. XII.

In Germania, & alibi terrae plures cum ſiluis mouent: Oliuetum vbi mutarit ſedes. Inſula nata inter vtramque ripam, vtrius habitantis erit? Vrbium tranſmotio, montiumque.

GErmaniae lacus. Plinius l. 16. c. 1. *Aliud e ſiluis miraculum. Totam reliquam Germaniam cōplent praecipue lacus. Litora ipſa obtinent quercus maxima auiditate naſcendi: ſuffoſſaeq. fluctibus, aut propulſae flatibus*

flatibus vaſtas complexu radicum inſulas ſecum auferunt. Atque ita libratae ſtantes nauigant ingentium ramorum armamentis, ſaepe territis claſsibus noſtris, cum velut induſtria fluctibus agerentur in proras ſtantium noctu, inopeſque remedij illae proelium nauale aduerſus arbores inirent. Parem hiſtoriam Belgij noſtri ex viri doctiſſimi lucubrationibus accipe. Nannius lib. 10. Συμμίκτων: *Memoria teneo auum meum, qui vixit ad nonaginta annos, & octo narrare ſolitum, cum auulſa inſula ex Dania ſe ſuperfudiſſet ijs ſtagnis, vbi nunc ſunt Foeni, ſiue Fenen, Danos repetitum veniſſe ſuas terras, ac litem ſuper ea re inſtitutam fuiſſe, iudicatumque, vt alienum ſolum, vel liberarent peregrina inſula, vel poſſeſsione cederent.* Quod iudicium ſecundum leges datum eſt. Danorum enim ſicut principio, loco demota remanebat, & dominij iure peculium illi repetebant. Lib. 2. Inſtit. de Rerum D. §. 15. *Quod ſi vis fluminis de tuo praedio partem aliquam detraxerit, & vicini praedio attulerit, palam eſt eam tuam permanere.* Nulla hic caligo, aut aſperitas: omnia plana. Sed Danorum erat poſtliminio retrahere, non aliorum, ad quos inſula peruenerat, repellere, aut remittere: Quod ſi officium negligunt, poſſeſſione videntur cedere,

Digitized by Google

cedere, eaque pro derelicta haberi poteſt. Ibidem: *Plane ſi longiori tempore fundo vicini tui haeſerit, arboreſque, quas ſecum traxit, in eum fundum radices egerint, ex eo tempore videntur vicini fundo acquiſitae eſſe.*

Ex his pronam fidem illa Senecae promerentur lib. 6. c. 7. Natur. qq. *Poteſt fieri* [quiqui oblatrent] *vt aliquam regionem riuus affluens exedat, ac ſecum trahat aliquam molem.* Quod ſi ea moles duorum vicinorum fundo haeſerit, vtrius erit? Neque ſuper hoc iura ſilent. D. lib. 41. tit. 28. *Inter eos, qui ſecundum vnam ripam praedia habent, inſula in flumine nata non pro indiuiſo communis ſit: ſed regionibus quoque diuiſis. Quantum enim ante cuiuſque eorum ripam eſt, tantum veluti linea in directum per inſulam traducta, quiſque eorum in ea habebit certis regionibus.*

Mira profecto res arbores numeroſas per multum ſpatium procul a primore ſtatione rectas deuehi, aut paulum proclinatas quaſdam. Sed miraculum naturae pomoerio non diſcluſum. Aquarum enim leni agmine cum ſolo, & fundamento ſuo defluxere. At per ſolum, per ſolidum vectari arbores merito prodigijs annumerat Plinius lib. 17. c. 25. *Super omnia, quae vnquam audita ſunt,*

Digitized by Google

erit prodigium in noſtro aeuo Neronis principis ruina factum in agro Marrucino, Vectij Marcelli e primis equeſtris ordinis oliueto vniuerſo viam publicam transgreſſo, aruiſque inde e contrario in locum olíueti profectis. Prodigium hoc cuium facimus? fauſti genij, an infauſti? Cui bono? cui exitio? Ante quoque idem oſtentum poſuerat lib. 2. c. 83. Iulius Obſequens de Prodigijs c. 116.

Arbores, & ſola terrarum vndis, ventiſque propulſantibus alio tranſportari vt mirum ſit: quanto magis vrbes conuelli cum fundamentis, eademque ratione elocari? Silius Italicus vbi diuortio terrarum, vaſtantibus vndis, ventorum turbine Siciliam ab Italia diſtractam canit:

Auſoniae pars magna iacet Trinacria tellus,
Vt ſemel expugnante noto, & vaſtantib. vndis
Accepit freta coeruleo propulſa tridente.
Namque per occultam coeca vi turbinis olim
Impactum pelagus laceratae viſcera terrae
Diſijcit, & medio perrumpens arua profundo,
Cum populis pariter conuulſas tranſtulit vrbes.

Seneca lib. 2. qq. Natur. c. 8. *Hunc intendi* [ſpiritum] *quis negabit, cum viderit iactari terram cum montibus,*

tibus, tecta, muroſque plures, & magnas cum populis vrbes [agnoſcis, Lector, Silij Italici os?] *cum totis maria litoribus.* Pſalmo 45. *Conturbata eſt terra: & transferentur montes in cor maris.* Iterum Seneca lib. 3. c. 27. *Cumque Danubius non iam radices, nec media montium ſtringit: ſed iuga ipſa ſolicitat, ferens ſecum madefacta montium latera, rupeſque deiectas, & magnarum promontoria regionum, quae fundamentis laborantibus a continente receſſerunt.* Idem lib. 6. c. 29. *Vides totas regiones a ſuis ſedibus reuelli, & trans mare iacere, quod in confinio fuerat.* Ibidem: *Cum dixerim montes a montibus receſsiſſe.* Cap. 30. *Diductis aedificia angulis vidimus moueri, iterumque componi.* Hos peregrinos, ac propemodum fide laborantes rerum motus alluſit D. Ambroſius Hexaëm. lib. 6. c. 5. de elephantis: *Velut quidam mobiles montes verſantur in proelijs.*

Haec vniuerſa etſi longe a vero auerſa videri queant ijs, qui oculis omnia metiuntur: Straboni tamen libro nono teſtificata reddimus: Ἐγχωσθέντων δὲ κατὰ βάθος τῶν πόρων αὔξεσθαι λίμνας συμβαίνει μέχρι τῶν οἰκουμένων τόπων, ὥστε καὶ πόλεις καταπίνεσθαι, καὶ χώρας· ἀνοιχθέντων δὲ τῶν αὐτῶν, ἢ ἄλλων ἀνακαλύπτεσθαι, καὶ τοὺς ἄλλους μὲν τόπους ποτὲ μὲν πλεῖσθαι, ποτὲ δὲ πεζεύεσθαι, καὶ τὰς αὐτὰς πόλεις ποτὲ μὲν ἐπὶ τῇ λίμνῃ, ποτὲ δὲ ἄπωθεν κεῖσθαι.

Διττῶς δὲ τοῦτο δύναται· ἢ γὰρ μενουσῶν ἀκινήτων τῶν πόλεων, ὅταν ἡ αὔξησις τῶν ὑδάτων ἧττον ᾖ τῆς ὑπερχύσεως, διὰ τὸ ὕψος τῶν οἰκήσεων· ἢ διὰ ἀπόστασιν, ἢ διὰ ἀνοικισμὸν, ὅταν τῷ πλησιασμῷ κινδυνεύσαντες πολλάκις ἀπαλλαγὴν πορίζωνται τοῦ φόβου, τὴν μετάληψιν τῶν χωρίων τῶν ἄπωθεν, ἢ τῶν ἐν ὕψει. Interpres: *Porro autem meatibus in imo obſtructis, euenit vt paludes auctae ad habitata vſque loca ſeſe proferant: ita ſane vt vrbes quoque, ac regiones, rurſumque vel iiſdem, vel alijs apertis emergant. Itaque eadem loca alias nauigentur, alias pedeſtri itinere peruadi poßint: & eaedem vrbes alias ad paludem, alias procul ab eadem ſitae viſantur. Hoc autem duobus euenire modis poteſt. Nam aut manent immotae vrbes, quando aquarum incrementum tantum non eſt, vt inundet eas poſitis edito loco aedificijs: aut deceditur, reficiunturque, & denuo inhabitantur eae, quando incolae metu diluuiei, & periculi alio concedunt in remotiora, aut ſublimiora loca.*

CAP.

CAP. XIII.

Salſulae nant in Gallia. Ad Morinos propter Aam plurimae nant inſulae. Carolum V. Philippum II. (quantos heroas!) Albertum Auſtriacum miraculi huius illecebra inuitauit.

A Germania in Belgium tandem imus: at non niſi luſtrata prius Gallia, cuius in ὑπολυπῶσα Pomponius Mela lib. 2. cap. 5. *Salſulae fons non dulcibus, ſed ſalſioribus, quam marinae ſint, aquis defluens. Iuxta campus minuta arundine, gracilique peruiridis, caeterum ſtagno ſubeunte ſuſpenſus. Id manifeſtat media pars eius, quae abſciſſa proximis, velut inſula natat, pellique ſe, atque attrahi patitur: quin & ex ijs, quae ad imum perfoſſa ſunt, ſuffuſum mare oſtenditur.* Pelle ſalſedinem: inſulas orae noſtratis ad Morinos examuſſim pictas putes. Audomaropolim Morinorum influit fluuius Aa, cui ſi Graecanicam originem adſignauero ſcribente Heſychio,

Λ'α, σύςημα ὕδατος, nonnullis ludibrium debere videbor. Verum primos huius orae accolas Graece neſciſſe quis mihi certus auctor iurauerit? Quippe plures terrarum portiones iniqua magnitudine in aquis ad Aam fluuium ſedent, quieſcunt: eaedem flabris ventorum vehementius impulſae, contis depulſae, vinculis abſtractae parent, ſequuntur. Sic in ijs quandoque luſitat iuuentus, vt varias in turmas diſcreti, alijs, atque alijs ex cymbis proelij naualis ſimulacrum repraeſentent, & captiuas inſulas defendentibus eripiant, ſibique glorioſe vindicent. Interim vt labi lubricum, ſic periculi plenum. Namque alibi aqua pedes tricenos, alibi plures, paucioreſque alta eſt. Aqua ipſa plurimum innubila, terſa, ad imum vſque tam perſpicua, vt in fundo glaream certis oculorum ictibus ferias. Adiuuat ſolaris radius (vti in omni viſione lux neceſſaria) per aeſtatem abundior. Baſilius M. hom. 2. Hexaëm. Α'κτὶς μὲν γὰρ ἡλίου δι' ὑδάτων διικνουμένη δείκνυσι πολλάκις τὰς ἐν τῷ βάθει ψηφῖδας. Putes ab Ouidio in re diſſimili deſcribi Metamorph. lib. 5.

Inuenio ſine vortice aquas, ſine murmure euntes,
Perſpicuas ad humum, per quas numerabilis alte
Calculus omnis erat, quas tu vix ire putares.

Aut a Claudiano: ——— *Admittit in altum*
Cernentes oculos, & late peruius humor
Ducit

Ducit inoffenſos liquido ſub gurgite viſus,
Imaque perſpicui prodit ſecreta profundi.

Haec fluuiorum, fontium, aut maris commendatio viſa eſt magnis ſcriptoribus praedicanda. Caſſiodorus lib. 8. *Lucaniae conuentum, qui praeſtita ſuperſtitione Leucorea nomen accepit, quod ibi ſit aqua nimio candore perſpicua.* Ibidem apud Caſilinatem ciuitatem erumpit aquarum perſpicua, & dulcis vbertas, vbi in modum naturalis antri apſis fabricata concauitas ſic perſpicuos liquores emanat, vt vacuum putes lacum, quem non dubitas eſſe pleniſſimum. Hic pellucida vſq. ad fundũ patet, vt adſpectib. tuis aërem potius apparere iudices, non liquorem. Cauſas attexit: haec enim aquarum perſpicuitas ſubtilitatis index eſt: Aemulatur ſerenum diem aqua ſubtiliſſima; nam quidquid in imo geritur, inoffenſa aëris claritate monſtratur. Videſis inibi alia duo verè miranda.

Sub Aenſium terrarum fluctantium ſecturis immane quantum deliteſcat piſcium, qui ea latebra aut ſolem nimium frangunt, aut hibernam coeli aſperitatem, frigusque demitigant. Res tam ſtupenda a quibuſdam vicinis ignoratur incolis, vt admodum fructuoſa, & piſcatu quaeſtuoſa, cordi eſt. Nemo ciuilior, aut humanior vicina tangit, quin eo itare geſtiat:

tanto-

tantoque miraculo audito viſere prurit oculus ſummatum virorum. Quo ſuper non ſpernendi ſunt V. Cl. Simonis Ogerij verſus lib. 2. Siluarum ad Aam fluuium:

Omnigenoſque creas piſces, terraſque natantes,
Quod nuſquam inuenias, (Inconſultius adſertum, quam verius) ——— *oculis mirantibus offers.*
Nam ratium praeſtant vſum, celereſq. ſequuntur,
Quo cupiunt homines, & ducunt flamina coeli.
In quibus vmbriferos ſaltus, atque arbore foetus
Pendentes videas, & candida lilia carpas,
Grataque purpureo ducas conuiuia Baccho,
Et celebres feſtas hilarato corde choreas.
Has olim in terras, ne quis me fingere credat,
Carolus egregius Caeſar, natuſque Philippus,
Cum feſſum bello pectus recreare volebant,
Saepe dapes ferri iuſſere, & pocula poni.

Albertus Auſtriacus BelgI dotalis princeps bellicis curis grauis, & quamuis Caleto inhians (quod potiſſimum Claudij Labrelotij virtute rapuit) ſic animum diuiſit, vt in tranſitu inſularum harum nantium faciem coram intueri geſtierit: cumque de lembo pedem promoueret, nauta ruſticior, ac decrepitus ſub pedibus animaduerſo terram clementer moueri, Da dextram, inquit, Domine: huc ego patrem tuum

Digitized by Google

tuum deuexi. Rebatur Philippi II. filium. Et paſtoricia eius ridetur oratio ſermone adornata vernaculo. Albertum Auſtriae Archiducem inter alios principes comitabatur Philippus Guilielmus de Naſſau Princeps Auriacus non ita pridem redux ab Iberia.

Anno vero Salutis humanae M. DC. XXVI. Iſabella Clara Eugenia eadem animi remiſſione vſa ad inſulas Aënſes adiuit, & mobilitatem admirata eſt, nec ipſam minus vndae, terraeque nantes, quibus ego idem optabam ingenium, quod Orchomeni Ploadibus verſu inante laudato Nonnus tribuit:

Καὶ χορὸν ὠρχήσαντο χορηΐδες Ὀρχομενοῖο.

Saltauere choro terrae Orchomeni ſaliares.

Subtexat ſua Burgundionum decus, Chiffletius c. 7. de portu Iccio: *Sereniſsima princeps Iſabella quadraginta minimum nobilibus qua foeminis, qua viris e comitatu ſuo ſtipata, in vna earum aliquamdiu ſtetit, ac per aquas deuecta eſt: quin & ibi rogata pateram ori admouit, vbi* ſcilicet Carolus V. *auus, Philippus II. pater, & Albertus maritus alias vinum libarant.*

N EX

EX LITERIS VENERABILIS V.

L A V R I N I

M A N T I S S A.

EX Aae fluuij vbertate funduntur riui, qui vbi coëunt, paludem magnam conſtituunt, vulgus *Claras paludes* vocitat, *Clairs-Marets*, vnde vicino monaſterio vocabulum. Alij a *Clara Maria* indigetari rati ſunt. Abbas ipſe (pietatis imago, & D. Bernardi, cuius in honore, ac patrocinio domus iſta) rectius cenſet vocari de *Claro mariſco*, quaſi *Clarum*, *aut limpidum mare.* Harum paludum variae ſunt ſecturae. Octo terrae nantes ſunt in mancupio Abbatis Bertiniani, quem hodie gradum obtinet R. Pater Philippus Gilloc-quus. Eius eſt roborarium altius, cui Lamondo nomen, & puſilla gemina *Maria*, quae *Moeren* vocantur. Ex Graeco Μοῖραι, *Partes*, *Secturae* paulum vox deflexa videri queat. Duae item terrarum nantium portiones, (quae paludis huius partem obtinent dictam Calmuriam) ſunt domini Abbatis

batis de Claro Mariſco. Aliae hoc in tractu ſupernantes inſulae ſunt priuatorum plurium numero fere ſexaginta. Figura plurimis quadrangula. Maiores ex ijs decempedas quindecim non ſuperant: latitudo ijs etiam minor. Plebeius illic, ac tumultuarius frutex. Crebra arundine, eaque inualida amiciuntur hae ſecturae. Filicem proxime referens herba mihi viſa, ſed minus cognita aequa cum arundine vbertate prouenit: Iuncorum imbi prouentus rarior. Arbuſculae non vnius generis innaſcuntur. Ilices pauculae, aut potius quaſi ilices, quarum fructus ante labitur, quam matureſcat: alni laetae frondibus: Salix plurima naſcitur in his inaratis aruris: at ne ſe tollat altius, aut diffundat, praecipiti ſectione impediunt: idque ſingulari animi prouiſione. Nam ſi ſublime peterent arbuſculae, & ſpatioſiores euaderent, & ramoſiores: tum magno poſſidentium incommodo, ac piſcium iactura vento ſe in folia, ramoſque impingente finibus ſuis eae abſtraherentur terrae: nec vnquam quieſcerent: puſilla quippe aura commouentur.

Varia piſcium genera ditant paludes de Claro Mariſco, & vagantur: deliteſcunt vero ſub terris

nantibus Percae, cyprini, ruſſatae, aliorumque numeroſa turba piſcium. Quos inter rapiculae numero ſuperant. Lucij extra has latebras numero impares aliorum conſortio non immergent ſe; at veluti extra caſtra excubitores, in omne terrarum latus diffuſi ludunt, aut verius, ſiquis ſe a toto globo diuellat, inſidiantur, ſuique meminere. Truttae hic rariſſimae: amant enim profluentes, & vagas vndas. Pauculae tamen, quas e fluuijs vicinis caſus eo propulit.

Cum haſce terras, velut aggeres mobiles, loco mouere viſum eſt, funiculo, aut vitice alicui plantae, aut ſalici, aut fini litorali immiſſa alio trahunt: aut qui in cymba ſunt, ſocio in aliqua terrarum portione collocato, alioue in nauigio palmula tradita, quam ipſi ἀπρίξ quoque retinent, quo collibitum eſt, agunt. Eo quoque conſilio inuicem deuinctae ſunt ſalignis, aut viticeis, ſimilibuſque ligamentis, ne ludibrioſe auolent cum magno heri incommodo.

CAP.

CAP. XIV.

Inſulae nantes in tractu Bolonienſi, in Britania, India, Hiſpania.

ANte *Flutantium terrarum* cauſas, quam perueſtigem, quas praeterea nouis ad me libellis tranſmiſſis noſſe contigit *inſulas mouentes* aperio. *Guiſniam* inter, & *Ardeam* proxime *Aam* fluuium viſuntur paludes Fluitantes, dicunturque paludes *Belinghuanae*, & *Ardeates ab Aa* paene quatuor M. P. ſubmotae. Ita narrat Andreas du Cheſne in Antiquitatibus vrbium Francicarum, vbi Ardeam illuſtrat vernaculo ſermone. Supparia Iacobus Peltierus in ſua Sabaudia confert de lacu *Bourgetio*, & *Cheueluto*, *Crinitum* dic, ſi libenti tibi eſt. Verſus eius Gallicos Latinis ſubſequar:

Vbi terra largas hinc, & inde combibit
Vndas pigrantes: procreat Bourgetium
Lacum: inſulam in dorſo videbis herbidam,
Res mira! latere titubato mouerier,

Abunda ſubſit vnda modo, non parcior.
Vt cum poſuere venti, & Alcyon dein
Fauore mitigauit auras ponticas:
It alnus per vias maris ramoſior.
Stet, an feratur, ambigit, quiſquis videt.
Iucundius ſpectaculum altera inſula
Lacus Cheueluti dabit vel conuenis.
Si dixe Crinitum voles, aut Aeolum,
Licet. Mouentium Aeolus rex flaminum.
Non ſorte diſpari Cheueluti in lacu
Ramoſa ſurgit arbor: indicat, ruant
Ex qua plaga venti: arbor inſulam regit.
Antemna, velum, malus arbor vnica eſt.

Cambdeni ſunt haec in ſua Britannia: E lacu Lumondo, qui ſub montibus hic ſe explicat, in longitudine XX. M. P. & VIII. in latitudine admodum piſcoſus eſt Lennox. Sed maxime peculiari ſibi piſce (*Pollac* vocant) inſuliſque confertus, de quibus fabellae apud vulgus hominum inualuerunt plurimae. Inſulam vero hic fluctuantem in quaeſtionem vocare non libet, cum nihil prohibet corpus leuius, & pumicoſum aquae innatare, & Plinius ſcribit in lacu Vadimonis inſulas herbidas iunco, & arundine tectas fluitare. Haec ille. Hoc lacu triginta contineri inſulas tradit Hector Boëtius in hiſtoria

ſtoria Scotiae, quarum pleraeque vicis frequentibus habitatae, templa, ſacellaque diuis dicata habeant. Tandem: *Denique eſt & inſula quaedam gregibus paſcendis, armentiſque vber: ſed quae natans, fluctuanſque, quo venti impellunt, huc, illuc feratur. Situs autem hic lacus eſt ad pedem Grampij montis, Pictorum olim, Scotorumque regni limitis.*

Ad Endhouiam verſus orientem variae ſe hominum oculis terrae nantes offerunt non procul fluuio Dommelano referente nobis Iacobo Laurentij Endhouienſi. Etiam prope Tiliam ſimilium aquis mouentibus terrarum dorſa cubant.

Neq. vero India miraculorum ferax, & cōmendatrix terra, nantium inſularũm honore caret. Ioſephus Acoſta naturae per Indias rimator ſolertiſſimus lib. 7. c. 9. non inferiora dictis perſequitur: multo etiam illuſtriora, iucundiora, βασιλικώτερα, quae Latio vindicamus. Rex Azcapuzalconis veritus Mexicanorum potentiam, ordinario tributo parum ſe contentum ſimulat. Mexicanos itaque iugo premere arctiori adortus ad iniquiſſimas conditiones animum, arteſque vertit. Sapinos, ſalicès, materiam aliam aedificationi aptam pro extraordinario tributo annuo iubet pendere, ac inſuper rem impoſſibilem ratus, hortum aquis inſidentem, bene amictum

ſegete-

Digitized by Google

ſegete leguminum, & vario florum genere vernantem per aquas ſibi adduci imperat. Hoc ni fit, bellum indicit, internecionem minatur. Summus inde terror, moerorque Mexicanos inuadit: vociferari cuncti rem impoſſibilem, regem inſidiari vitae cuiuſque, & vrbis euertendae conſilia coquere. Ecce tibi in tanta animorum conſternatione, velut e machina Deus Vitzilipuztlius ſe effoeto cuidam ſeni videndum dat. Mandat ſeni verbis ſuis regis filio ſuadeat, ne recuſet; rem futuram facilem, *vt facile eſt omnia poſſe Deo*. Ergo numinis ope hortum eleganter adornatum, frumento bene ſpicato, & granato (quod illi Mayſium vocitant) opulentum, in aquis ſituatum, ac per aquas ad regem trudunt, trahunt, vectant. Parte alia perplurima ſata percreuerant. Ita perfecta res prius impoſſibilis viſa Azcapuzalconis regem in ſtuporem dat, & Mexicanorum Dei poteſtatem apud ſuos magnificat.

Acoſta tandem pedem ſtruit ſimili verborum forma. Quibus inuiſi ſunt horti iſtice ſtructiles in Mexicani lacus meditullio, haec pro fabulis erunt, aut diaboli adſcribent impoſturis. At reapſe parabiles, facileſque ſunt horti huiuſmodi in vndis mobiles, ac ſaepiſſime fieri viſi ſunt. Nexim namque impli-

implicatis iuncorum, ſcirporumque radicibus, & gladiolorum, terram deſuper inijciunt, & arte tanta compingunt, nequa pars hiet, rimamue ducat. Tum conſerunt, coluntque aruorum in morem, ac imbi ſata feliciter matureſcunt. Hortos denique loco dimouent, transferuntque, vt libentia eſt. Eadem in hiſtoria Mexicano lacui paradiſos inſerit per vndas equitantes: in quibus areae frequentes, herbidae, varie floride. Nec, inquit, qua ſint arte compoſiti horti, ni perſpexeris, adſequaris.

Scribit item Ludouicus de la Cerda vir omnigenae lectionis ad Aeneidem tertiam: *Ad Sucronem Hiſpaniae fluuium vulgo Xucar, lacus eſt Vnna nomine, in quo errans inſula olim maior nunc ipſo agitatione minor, vndis quotidie aliquid deterentibus, & exedentibus. Hanc inſulam vidi ipſe, neque hoc dubitare quiſquam poteſt eorum, qui nunc viuunt. Vidi enim molem illam ſe per vndas agitantem.*

Digitized by Google

CAP. XV.

Terrarum nantium cauſae. Princeps, Numen. Chriſtus aquis inambulans.

ETsi pleraque naturae miracula coecas habent cauſas: etſi in anterioribus paginis plerique veterum natantium inſularum cauſas tetigere verius, quam aperuere: nihilominus quanta eis debeatur fides, nobis diſquirendum modo perpaucis.

Capitalis omnium cauſa, & cum alijs arcanis effectis communicata, eſt Numinis voluntas omnipotentia ſubnixa, & in rerum, mundique viſceribus ſecreto operata, quae *quidquid voluit, fecit.* Plinius lib 37. c. 4 vbi de adamante: *Numinum profecto muneris inuentio omnis eſt: nec quaerenda in vlla parte naturae ratio: ſed voluntas.* Vt ergo quoquo modo terram vniuerſam ſtare, fixamque dixeris: χρὴ πάντα ὁμοῦ συγκρατεῖσθαι ὁμολογεῖν, καὶ συνέχεσθαι τῇ δυνάμει τοῦ κτίσαντος, inquit l. 2. c. 10. Damaſcenus.

Omnia

Omnia ſimul contineri, & cohiberi creatoris potentia neceſſe eſt confiteri. Sic de terris in aqua ſubeunte, & obeunte quietis, aut mouentibus, arcana Dei manu fieri pronunciandum eſt. τοῦτο γὰρ ἴδιον Θεοῦ τὸ κατὰ τὸ ἑαυτοῦ βούλημα τὰ δημιουργήματα ἐπέχειν. *Secundum voluntatem ſuam creaturas gubernare, hoc Dei proprium eſt*, ait Ioannis aureum os in Geneſim. Dei quoque potius prouidentis omnia, ac dirigentis, quam naturae miraculum fuerit, quod Photius ex Iſidori vita enarrat c. 242. Bibliothecae in aquis Arabiae Stygijs: Θέαμα τοῦτο, καὶ φύσεως ἔργον σεμνὸν, καὶ φρικῶδες· οὐκ ἔστιν οὐδεὶς ἀνὴρ, ὃς ἰδὼν οὐκ ἂν πληρωθείη σεβασμίου φόβου. τῶν δὲ ῥιπτουμένων τῷ ὕδατι ἀναθημάτων τὰ μὲν καταδύεται εἰς ἄβυθον, κἂν ἐλαφρὰ ᾖ, οἷς εὐμενῶς ἔχει τὸ θεῖον. οἷς δὲ μή, ταῦτα δὲ ἄρα κἂν βαρύτατα ᾖ, ἐπιπολάζει, καὶ εἰς τὸ ἐκτὸς ἀποπλύεται θαυμαστόν τινα τρόπον. Spectaculum hoc, & naturae opus auguſtum, & terribile. *Nullus mortalium hoc ſpectat, qui non horrore ſacro perfundatur. Nam eorum, quae in aquam iaciuntur, donaria alia in voraginem demerguntur, etſi leuia ſunt, eorum ſcilicet, qui beniuolentia numinis vtuntur: ſin ſecus, eorum donaria, quamuis grauia, ſupernatant, & extrorſum reſpuuntur mirabili modo.* Nec ſuper hoc ea tangimus, quae plenis faucibus eructant Theologi, contenti amoena demonſtra-

tione omnipotentiae Numinis, quam humanis obiecit oculis Chriſtus aquis inambulans, quod miraculum cantabundi ſic olim mirabamur.

Chriſtus aquis inambulans.

STate piae limphae; ſuat haec reuerentia, ſtate:
Chriſtus adeſt: ſtabili ſternite marmor aqua.
Chriſtus adeſt, carnemq́ue vehit ſine pondere pondus:
Aequore ne plantas tingeret, vnda ſtetit.
Nec tamen in ſilicem conuerſa eſt ſub pede durum,
Nec mollis facies conſtitit, vt glacies.
Ouid. Vndaque non vdo ſub pede ſumma fuit.
Vnda fuit ſtabilis, fuit & quoque labilis imo
A fundo ad ſuperi mollia dorſa maris.
At Dominum venerata ſuum fugiſſe refugit,
Et pedibus dominis oſcula blanda tulit.
Tunc Neptunus equo, Triton delphine ſubibant
Pube tenus ſciſſi, ſpumea terga maris,
Impexi crines, multaque adſpergine cani:
Vt videre ſimul, adſtupuere ſimul.
Fuſcina Neptuno (nec ſenſit) lapſa tricuſpis,
Concháque Tritoni defluit e manibus.
Heu! pudor eſt ponti domitorib. ire per altum
Vel tibi delphino, vel mihi, dixit, equo!

Tum

Tum quos infecit vultus pudor, abdidit antris
Neptunus notis, abdidit aliter aquis.
Numina vana procul vaſti ludibria ponti:
Eſt Dominus, famulas qui pede calcat aquas.
Nec pede ſcindit aquas: veſtigia nulla notantur:
Vt ſpeculi glacies aequa renidet aqua.
Qui latam laxe porrexerat Amphitriten,
Et pede qui ſicco iam premit, eſt Dominus.

CAP. XVI.

Nantium terrarum cauſa altera, Radicium perplexitas.

CAVSA altera congeſticia perplexitas radicium ab herbis, arboribuſque, ac dumis naſcentium, quo fit, vt terra non diffluat aquis ſubeuntibus penitius diluta. Quod ſi plus aequo ab inuicem abeant, hiſcantue, tellus inibi fit mollior, & facilis diſcedere impacto pede, aut bacillo: Experti ſumus plus vice ſimplici in noſtratibus inſulis fluitãtibus, aut ſuſpenſis. Hic enim mori ſilueſtres ebulũ, ſalix, arundo, herbae pluriſariae radices ſpargũt, & implicãt,

terra interim rimas oblimante non ſecius, ac pix denſa caniſtris, & quaſillis ex vimine illita mergi prohibet, raro Moſis exemplo, & ſalute. Chemmim olim inſulam ea de cauſa contineri, ſtare, motitari ſumus opinati. Nam palmas in ea ſtatuit Herodotus: palmarum autem radices ſparſae. Mela *lucos, & ſiluas* in ea collocat, vnde radicium laqueos ἐπαλλήλως conijcias, & mutuo implexu facile iungi. Deli *radices* apud Papinium, metaphoricas iudicarem, ni & ſcriptor Graecus ἀνεῤῥίζωσιν ante dixiſſet: At retinacula intellexit, Gyarum, Myconam. Siquis autem curioſius, & pertinacius natiuas herbarum, arborum, aut arbuſtorum radices animo complectitur, per me licet. In Delo palmas vetus agnoſcit hiſtoria, quarum vni acclinata Latona ſe exonerauit. Capite octauo Orchomenium lacum arundines Characia, & Plotia ſuſpendunt. De Cutilijs Macrobij teſtimonium audiſti: *Ampliſſimus enim caeſpes, ſiue ille continens linus in ſiluae licentiam comtus, iactantibus per omne mare fluctibus vagabatur.* Audiſti & Senecam: *Cutiliarum inſula & arbores habet, & herbas nutrit.* Plinius lib. 2. c. 95. *In Tarquinienſi lacu magno Italiae duae* [inſulae] *nemora circumferunt.* In lacu Vadimonis apud Plinium Secundum, *innatant in-*

ſulae

ſulae herbidae omnes arundine, & iunco tectae. Capite decimo tertio ex Plinio ſeniore *ſuffoſſas fluctibus, aut propulſas flatibus vaſtas complexu radicum inſulas auferri* vidiſti, & ferri in Germania, ex alio e Dania. Iuxta Salſulas Pomponius locat *campum minuta arundine, graciliqne peruiridem.* De Aënſibus inſulis propter Morinos oculi mei tibi teſtificantur. Haec igitur fluitantium terrarum cauſa non poſtrema, quam & in Mexicanis hortis proxime vidiſti. Seneca de Cutilijs: *Huic duplex cauſa eſt. Fortaſſe enim leues truncos, frondeſque in lacu ſparſas pinguis humor apprehendit, ac vinxit.*

CAP. XVII.

Tertia cauſa, Terrae indoles. Lateres nant in Pithana, in Hiſpania. Maſsia. Calentum. Lydiae cur natent? Ebenus cur mergatur. σομφὸν *quid.*

TERTIA cauſa de terrae indole petitur: ſi ipſa pumicoſa, ſubinanis, aëria: ſi ſaxa, quae in illa, exeſa, ſemeſa, multiforia, & in eorum cauernulis

nulis aër multus, ſic vtrium inſtar, vt agi queant, mergi nequeant. Seneca lib. 3. Natur. qq. c. 25. *Ipſius inſulae materia vectabilis, quae non eſt corporis ſolidi, quamuis arbores alat. Fortaſſe enim leues truncos, frondeſque in lacu ſparſas pinguis humor apprehendit, ac vinxit. Itaque ſigna in illa ſaxa ſunt, inuenies exeſa, & fiſtuloſa, qualia ſunt, quae duratus humor efficit, vtique circa medicatorum fontium riuos: quae vbi purgamenta aquarum coaluerunt ex ſpuma, ſolidantur.* Attexit, quod nota dignum: *Neceſſario leue eſt, quod ex ventoſo, inaniq́ concretum eſt.* Nota quoque dignus eſt *Pinguis humor:* pingue namque ſupernat, & quod ex pingui coalitum. Sic Varro in libro, qui inſcribitur Gallus de Admirandis: *In Sicilia Papirius manu capi muraenas flutas, quod hae in ſumma aqua prae pinguedine flutentur.* Ob ſuperam cauſam lateres ex terra leuiore, fiſtuloſa, vel argilla peculiari non merguntur, aquis ſummis innant. Strabo lib. 13. Φασὶ δὲ ἐν τῇ Πιθάνῃ τὰς πλίνθους ἐπιπολάζειν τῷ ὕδατι ἐν τοῖς ὕδασι, καθάπερ καὶ ἐν τῇ Τυῤῥηνίᾳ νησίς πέπονθε· κουφοτέρα γὰρ ἡ γῆ τοῦ ἐπιζόγκου ὕδατός ἐστιν, ὥστ' ἐποχεῖσθαι. Ἐν Ἰβηρίᾳ δέ φησιν ἰδεῖν Ποσιδώνιος ἔκ τινός γῆς ἀργιλώδους, ἧ τὰ ἀργυρώματα ἐκμάττεται, πλίνθους πηγνυμένας, καὶ ἐπιπλεούσας. *Aiunt in Pithana*

thana lateres per aquarum ſumma fluitare, quod & in puſilla Tyrrheni maris inſula accidit. Leuior namque terra aequabili aqua eſt, ſic vt vectari queat. In Iberia vero adfirmat Poſidonius vidiſſe ſe ex argilloſa terra, qua vaſa extergentur argentea, conflatos lateres innatare. Pithana haec Plinio in ſubiectis eſt Aſiae ciuitas. Herodotus in Clio: Αἱ δὲ Αἰολίδες, Κύμη ··· Πιτάνη, Αἰγαῖαι. Item Scholia in 6. Pindari Odam Olympiorum, vbi ad Eurotam in Laconica *Pitanen* collocat alteram, & Pauſanias in Laconicis. Metamorph. lib. 7.

Aeoliam Pitanen a laeua parte relinquit.

Haec ipſa Strabonis eſt, de qua Vitruuius lib. 2. c. 3. *Pitanae, vbi lateres cum ſunt ducti, & arefacti, proiecti natant in aqua.* Phanias apud Antigonum c. 187. Ἐν Πιτάνῃ (correctio eſt a feliciſſima Meurſij manu) πλίνθος ἡ λεγομένη ἐπιπλεῖν: *In Pitana lateres, qui dicuntur innare.* Ibidem glebas leges εἰς ὕδωρ ἐμβληθείσας, οὔτε καταδύνειν, οὔτε κατατήκεσθαι, *in aquam coniectas neq. mergi, neque diſſolui.* At quam vellem inſulae iſtius Tyrrheni maris nomen Geographi radio deſcriptum. *Cutilia* fuit, ni fallor animi, qua Tyrrhenum aequor Siciliam verſus exſpatiatur. Oraculum:

Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν, Σατουρνίαν αἶαν,
Ἠδ' Ἀβοριγενέων, Κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται. Alij Κοτύλη.

P Ite

Ite requirentes Siculum Saturnia rura,

Ite ad Aborigenum Cotylen, vbi ſe inſula vectat.

Simile vaticinium lib. 40. Nonni:

Ε'ιζόχε χῶρον ἵκοιϑε μεμορμένον, ὁππόθι διοσαὶ
Α'σαϑέες πλώουσιν ἀλήμονες εἰν ἁλὶ πέτραι,
Α'ς φύσις ἀμβροσίας ἐπεφήμισεν ———

Ex oraculo, veterique Inſcriptione promunt hos verſus in primo Antiquitatum Dionyſius, & Macrobius. Ibi namque ſedem figere oraculo iuſſi ſunt Pelaſgi, vbi *Cotyla* vehitur inſula, qui cum ex captiuis audiſſent eo loci ſacrum ad lacum, & νησῖδα ἐν αὐτῇ περιδονουμένην, finem erroribus adeſſe rati, cum ſupplicijs Aborigines poſcunt pacem, & ſocietatem coëunt. Iberiae porro ciuitates Straboni tacitas Plinius exprimit ὀνοματοκλήδην lib. 35. c. 14. *In vlterioris Hiſpaniae ciuitatibus Maſsia, & Calento fiunt lateres, qui ſiccati non merguntur.* Cauſam deuelat: *Sunt enim e terra pumicoſa, cum ſubigi poteſt, vtiliſsima.* Non Maſſia, quae nulla ſit, ſed *Maxiluan* legit Salmaſius Plinian. p. 1232. qui & hos lateres (*Nota*) *arefactos*, ſeu Siccatos vult a ſole, non coctos. Eum vide. Haec princeps cauſa: communis, & ſecundaria, ignis, qui aut faecem terrulentam diſcoxit, aut aëriam, aëriue proximam quali-

qualitatem inuexit, & dum laterem cogit, humorem difflauit. Et literatiſſimus Lacerda in Aeneidem tertiam inſulae mobili, mouentique ad Sucronem materiam adſtruit tophaciam. Ex eadem cauſa Lydias inſulas natare vult Seneca ſupra: *Sunt enim pumicoſi, & leues* [lapides] *ex quibus, quae conſtant inſulae in Lydia, natant*. Huius animaduerſionis, ac inuentae rationis parens videtur Ariſtoteles lib. 1. Meteor. cap. 13. vel 14. qui cur terrae e rerum natura eſſe deſinant, cauſam aperit hanc: Ὅσοις δὲ μικραὶ ἐπικρεμάμεναι συστάσεις τῶν ὀρῶν, ἢ σομφαὶ, καὶ λιθώδεις, καὶ ἀργιλώδεις, τούτους δεῖ προαπολείπειν οὕτως οἴεσθαι δεῖ ποτε. Cauſam reddit, cur fluuij nonnulli minime ſint perennes. *Quibuſcunque vero fluuijs montes impendent, quibus exilis conciliatus, aut fungoſus, aut lapidoſus, aut argilloſus, eos prius deſieri hoc pacto ſentiamus oportet*. Vti autem ex horum paupertina coagmentatione montium ſequitur fluuiorum exitium: ſic eiuſdem conditionis inſulae quae ſunt, quia ponderis habent minus, ſubſidunt minus, vſque adeo vero, vt aliquae nent. Simili de cauſa ligna, quibus aëris vberior eſt portio, quam terrae, nant in aqua, cuiuſmodi paene ligna omnia: quibus vero aëris portio deterior, terrae affluentior, aquas magis, magiſq. ſubeunt. Docet idem Stagirita lib 4. Meteorol. c. 7. Τὰ δὲ ξύλα ἐστι γῆς, καὶ ἀέρος·

διὸ καυστὰ, ϗ οὐ τηκτὰ, οὐδὲ μαλακτὰ, ϗ ἐπὶ τῷ ὕδατι ἐπιπλεῖ, πλὴν ἐβένου· αὕτη δ᾽ οὔ. τὰ μὲν γὰρ ἄλλα ἀέρος ἔχει πλεῖον· ἐκ δὲ τῆς ἐβένου τῆς μελαίνης διαπέπνευκεν ὁ ἀὴρ, ϗ ἔστι πλεῖον ἐν αὐτῇ γῆς· *Ligna ſunt ex terra, & aëre: ideo comburi poſſunt, non liqueſcere, non molliri, & in aqua ſumma nant, praeter ebenum, quae non eſt natabilis. Alia namque ligna aëris plus habent: ex ebeno vero nigra diffluxit aër, ac terrae plus ineſt.* Theophraſtus ſimiliter: Πυκνότατα μὲν οὖν δοκεῖ, ϗ βαρύτατα πύξος εἶναι, ϗ ἔβενος· οὐδὲ γὰρ οὐδὲ ἐπὶ τοῦ ὕδατος ταῦτα ἐπινεῖ. Interpretabitur Plin. l. 16. c. 40. *Spiſsiſsima ex omni materie: ideo & grauiſsima iudicatur ebenus, & buxus graciles natura: neutra in aquis fluitat.* An eandem ob rationem ſcripſit Corippus p. 54.

Cedrus olens, ſolidum nunquamq. natabile robur.

In priore Ariſtotelis teſtimonio, quid Σομφὸν valeat, ex alijs accipe Lib. 1. de Animalib. c. 9. Ἔστι δὲ γλῶττα σὰρξ μανή, ϗ σομφή: *Eſt lingua caro rara, & fungoſa.* Σομφὸν enim ſpecies eſt τοῦ μανοῦ. Alibi: Πυκνὴ ἡ σὰρξ τοῖς ἄρρεσι, ταῖς δὲ γυναιξὶ σομφὴ, ϗ πόρων μεστή. *Denſa viris caro, foeminis ſpongioſa, & meatuum plena.* Lib. 7. c. 14. Ἅπας γὰρ μαστὸς σομφός ἐστιν οὕτως: *Omnis enim mammilla fungoſa eſt.* Baſilius M. hom. 4 in Hexaëm. Αἱ σομφώδεις τῶν ἠπείρων, ϗ ὕπαντροι Interpres: *Inſtar ſpongiarum. Spongioſum* dixiſſet Plinius, qui l. 31. c. 10. *Spongioſum nitrum, & fiſtuloſum* probauit.

Item

Item in terrae motu, terrae partes aëris refertiores efferuntur prae caeteris, & aliquando nant. Obſeruatio fuit immortalis viri Hermolai Barbari lib. 4. c. de Terrae motu: *Scriptum eſt eueniſſe terram aliquam loco motam ſuper vndas ferri, tantumque non mergi, quantum aër incluſus ſuſtentando non euaneſcit.*

CAP. XVIII.

Quarta cauſa, Aquae grauitas. Iterum lateres denſi, terrulenti nant, aliaq́ꝫ grauia. Quaedam altius. In Aſphaltite nil mergitur. Joſephus emendatior. Κωφότης, Γομφότης, Fontes *Carrinenſes.*

QVartam cauſam dicet Aqua. Alia enim alia eſt grauior. Seneca lib. 3. c. 25. *Quoſdam lacus eſſe, qui nandi imperitos ferant, notum eſt Erat in Sicilia, eſt adhuc in Syria ſtagnum, in quo natant lateres, & mergi proiecta non poſſunt,*

licet grauia. Non *lateres* pumicoſa e terra, aut leuidenſi iam proxime ficti: ſed *lateres* obuij, proletarij; ponderoſi, & alia *grauia*. Ita tamen grauia, vt aquae grauitati non praeponderent. Quis enim credat molares non perrupturos aequor aquae quantumuis ponderoſae? Plinio ſcriptum teneo lib. 36. c. 17. *Lapidem e Scyro inſula integrum fluctuari tradunt, eundem comminutum mergi.* Verum huic Scyrio lapidi aliud ingenium eſt. Nam pumicoſus cum ſit, pori aëris pleni ſunt; & ſuſtinetur a latiori aquae facie, quibus ex cauſis fluctuatur integer: fracto, & comminuto, particulae velut cuſpides aquam penitam ineunt: fracto, & comminuto, pori quoque confringuntur, & aër vna diſſipatur, ac dilabitur, nec iam talis lapillus ab aqua ſuſtineri diutius poteſt cauſis perditis. An Plinij lib. 2. c. 103. recte excudunt *Thyrrenum lapidem?*

Similem lacus indolem agnoſcit Plinius l. 6. c. 27. *Influit in lacum Arethiſſam* [Tigris] *omnia illata pondera ſuſtinentem. . . . Locus vocatur Zoroanda. Eundem eſſe manifeſtum eſt, quod demerſa profert.* Ἀναφέρει *paucis poſt dicet Ioſephus* τὸ *Profert.*

At Seneca cauſam annectit ſupra: Huius rei cauſa palam eſt: *Quamcumque vis rem expende, & contra aquam ſtatue, dummodo vtriuſque par ſit modus.*

modus. Si aqua grauior eſt, leuiorem rem, quam ipſa eſt, feret, & tanto ſupra ſe extollet, quanto erit leuior: grauiora deſcendent. Ex hoc fundamento noua contemplatio. Idem ſophus: *At ſi aquae, & eius rei, quam contra penſabis, par pondus erit: nec peſſum ibit, nec exſtabit: ſed aequabitur aquae. Hoc eſt, cur quaedam tigna ſupra aquam paene tota efferantur: quaedam ad medium paene ſubmerſa ſunt: quaedam ad aequilibrium aquae adſcendant. Namq; cum vtriuſq; pondus par eſt, neutraque res alteri cedit, grauiora deſcendunt, leuiora geſtantur.* Proſequamur tantum ducem cum magna luce, & iucunditate haec naturae arcana pandentem: *Graue autem, & leue eſt, non aeſtimatione noſtra: ſed comparatione eius, quo vehi debet. Itaque vbi aqua grauior eſt hominis corpore, aut ſaxi, non ſinit id, quo non vincitur mergi. Sic euenit, vt in quibuſdam ſtagnis ne lapides quidem peſſum eant. De ſolidis, & duris loquor.* Aquas expendit Athenaeus lib. 2. c. 4. Τἄλλα δὲ τῶν ὑδάτων καὶ σωματώδη εἰσι, καὶ ἔχει ὥσπερ τι βάρος ἐν ἑαυτοῖς, ὡς τὸ ἐν Τροιζῆνι· τοῦτο γὰρ καὶ τῶν γενομένων εὐθὺς ποιεῖ πλῆρες τὸ στόμα. Τὰ δὲ πρὸς τοῖς περὶ Πάγγαιον μετάλλοις, τοῦ μὲν χειμῶνος τὴν κοτύλην ἄγουσαν ἔχει ἐννενήκοντα ἕξ, θέρους δὲ τεσσαράκοντα ἕξ· συστέλλει δὲ αὐτά, καὶ πυκνοῖ μᾶλλον τὸ ψῦχος. *Ex aquis multae corpulentae ſunt, & velut inſita grauitate quadam*

quadam ponderoſae, vt ad Troezenem, quae guſtata os ſtatim implet. At eius, quae fluit e Pangaei fodinis, Cotyla nonaginta ſex hieme drachmas pendit, aeſtate ſexaginta ſex. Spiſſat enim, & contrahit magis illam frigus, quam caeteras.

Quae cum ita ſint, mirari ſubit Ioſephum diſertum Iudaicae hiſtoriae parentem, cur nihil mergatur, leuitati aquae cauſam adiudicare. Nam ſi aqua leuior, iure erit elatior, & ſupermeabit. Graeca vetus editio lib. 4. c. 27. verſionis Latinae l. 5. c. 5. Τὴν φύσιν τῆς Ἀσφαλτίδος λίμνης, ἥτις ἐστὶ μὲν, ὡς ἔφην, πικρὰ, καὶ ἄγονος, ὑπὸ δὲ κουφότητος καὶ τὰ βαρύτατα τῶν εἰς αὐτὴν ῥιφέντων ἀναφέρει· καταδῦναι δὲ εἰς βυθὸν, οὐδὲ ἐπιτηδεύσαντα ῥᾴδιον: *Aſphaltidis lacus natura eſt, vti dixi, amara, ſterilisque: verum ob leuitatem etiam grauiſsima quaeque in ipſum iacta effert. In profundum vero peruadere, ne ei quidem, operam qui dederit, facile.* An errorem in Ioſepho dicemus, & corrigendum: Ὑπὸ κωφότητος? Quod huius lacus aqua ſurda ponderi, aut mergi volenti minime obſequatur? Quid Homero κωφὸν κῦμα, non ignotum eſt: & κωφὸν βέλος. An ὑπὸ γομφότητος, *Coagmentationis cauſa?* Quia lacus ſuperficies ſecum congruens, & conglutinata probe diuidi recuſat. Quare filatim longiſſime bitumen ducitur. Tum apponit Ioſephus hiſtoriam

non

non illepidam, vt homines poſt terga vincti manus mergi non ſint quiti. Plin. lib. 2. c. 103. *Nihil in Aſphaltite Iudaeae lacu, qui bitumen gignit, mergi poteſt.* Antigonus c. 156. Ζηνόφιλον δὲ ἐν μὲν τῇ πλησίον Ἰόππης ὁυμόνον ἐπιδέχεσθαι πᾶν βάρος, ἀλλὰ καὶ παρὰ τρίτον ἔτος φέρειν ὑγρὰν ἄσφαλτον. Ἐπινήχεσθαι reponit Meurſius: commode, non neceſſario. Addo his Strabonem lib. 6. Περὶ Ἀκράγαντα δὲ λίμναι τὴν μὲν γεῦσιν ἔχουσι θαλάττης, τὴν δὲ φύσιν διάφορον· οὐδὲ γὰρ τοῖς ἀκολύμβοις βαπτίζεσθαι συμβαίνει, ξύλων τρόπον ἐπιπολάζουσι. Salmaſ. p. 126. Fontem eſſe, non lacum in Sicilia omnes ſcribunt. Eſto vnda haec a marina differat: tamen proximam ante declarauimus. Plin. l. 35. c. 15. corrigente Dalecampio: *Gignitur & pingue, liquoriſq; oleacei in Agragantino Siciliae agro fontibus innatans. Incolae id arundinum paniculis colligunt, citiſſime ſic adhaereſcens. Vtuntur eo ad lucernarum lumina olei vice: item ad ſcabiem iumentorum.* I ad Dioſcoridem lib. 1. c. περὶ Ἀσφάλτου, & Solinum c. 11.

Quintamne cauſam *Salſedinem* dicam? Inuitat nos Mela l. 2. c. 5. memorans cāpum ſtagno ſubeunte ſuſpēſum ad Salſulae fontem: *Salſulae fons non dulcibus: ſed ſalſioribus, quam marinae ſunt, aquis defluens.* Salſa quoq. maris vnda ſerius res mergitur. Plutarchus lib. 1. Sympoſ. probl. 9. Ἡ θάλασσα τοὺς νηχομένους ἐξαναφέρει, καὶ στέγει τὰ βάρη, τοῦ γλυκέος ἐνδιδόντος διὰ κουφότητα, καὶ ἀσθένειαν:

Q Addit

Addit Mela: *Id manifeſtat media pars eius, quae abſciſſa proximis, velut inſula natat, pellique ſe, atq. attrahi patitur*. Plinius lib. 2. c. 103. *Dulces mari inuehuntur, leuiores haut dubie. Ideo & marinae, quarum natura grauior, magis inuecta ſuſtinent.* Sic Aënſes inſulae dulcibus aquis ſuſpenduntur. Verum ſi quis aliquid limatius audire prurit, ſalſedo ſpiſſioris aquae potius eſt index, quam cur nihil, aut tarde quidquam mergatur cauſa. Quid quod aquis quibuſdam dulcibus nihil mergitur? Plinius eodem capite: *In Carrinenſi Hiſpaniae agro duo fontes iuxta fluunt, alter omnia reſpuens, alter abſorbens.* Non igitur a ſalſedine effectus ille proficiſcitur. Strabo quoque lib. 15. Indiae fluuium commemorat Siliam ᾧ μηδὲν ἐπιπολεῖ, *cui nihil innat*. Non pluma? non tipula? non leuiſſimum quodque? Democritus, & Ariſtoteles (quanti viri!) reluctantur.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

Tigris Thoſpitae non miſcetur, cui innat: non Arsaniae fluuio, quem ſuſtinet. Thonitis lacus. Priſcianus correctior.

SI vniuerſa terra Oceano cingitur, ſi tota aquis olim circumamicta fuit, ſi hominum bono in gremio, ac penetrali ſinu infinitam prope aquarum vim complexa eſt, ſi tam amice vndis ſe terra conciliat, vt plurimae terrae portiones aquis dilabilibus inſidant, aut vagentur, quorum pleraq. omnia valide adſtruximus: non indecorem diſceptatiunculam attexemus de fluuiorum confluuio im-

Digitized by Google

permiſtorum. Eſtque primore intuitu credibilius aquas ſe aquis illubricare, quam terras. Attexemus & de fluuiorum germana ſobole, hoc eſt de piſce foſſili nothis terrae diuitijs, de ſale terrae, eoque prolifico, & frugifero, de Siciliae, & Italiae diuortio, ac de Atlantica poſt Platonem, alioſque, de dulcitudine marinae, ſuper quibus obiter more noſtro diſquiſitum imus, deque varia fluuiorum variorum vi. Productis ab vniuerſi parente ligno Vitae, lignoque ſcientiae boni, & mali, ne harum nobilitas arborum, ſiccitate inareſceret, *fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita ... Nomen vero fluminis tertij Tigris: ipſe vadit contra Aſſyrios.* De eo ſunt illa Senecae lib. 6. qq. Naturalium c. 8. *Age, cum vides interruptum Tigrim in medio itineris ſiccari, & non vniuerſum auerti; ſed paulatim, non apparentibus damnis, minui primum, deinde conſumi: quo illum putas abire, niſi in obſcura terrarum: vtique cum videas emergere iterum, non minorem eo, qui prior fuerat.* Sic probat ſapiens aquas in terrae viſceribus condi. Reuera Tigris non interrumpitur, multo minus ſiccatur, qui perennis fluit: ſed conditur. Praeterea, qui ſcis *minui*, niſi ex *apparentibus damnis*? ſi non apparent

parent damna, neque apparet Tigrim minui. Neque minuitur, ſi non minor eſt eo, qui prior fuerat. Dionyſius nitide, perſpicue:

Ἔστι δέ τις κατὰ μέσσα περίτροχος ὕδασι λίμνη,
Οὔνομα Θωνῖτις, ἧς ἕλκεται ἐς μυχὰ Τίγρις
Δύνων πολλὸν ἔνερθε· πάλιν δ᾽ ἐξαῦτις ἀνασχὼν
Ὀξύτερον προΐησι κάτω ῥόον ———

Priſcianus Interpres:

Atque lacu medius Thonites intrat, & exit:
Nec violatur aqua quamuis penetrabilis illa,
Ocyor atque vadis emergens cedit amaris.

Thonites ſincerus eſt, nec violatur aqua *Tigris* admiſta. Auienus apertius, nec *Thonitem*, ſed *Thoſippen* lacum indigetat, ſi non ex Dyoniſio, & Priſciano lapſus ille erigendus:

Maximus hanc fluctu Tigris intrat: aperti
Terga lacus ſtupet vnda ſilens, tacitaeq́ recumbunt
Aequora Thoſippes: ſolidarum denique more
Riparum ſtagni facies inſcia quieſcit,
Inuectumque ſibi cohibens altrinſecus amnem
Stat diſcluſa palus ———

Stagni facies inſcia, mendoſum eſt. Forte *Inſeſſa*, vt Tigris ſedeat potius in paludis tergo, quam permiſceat aquas. Aut *Inſtrata quieſcit*. Aeneid. 8, Tibris:

——— *Tacita refluens ita ſubſtitit vnda,*
Mitis vt in morem ſtagni, placidaeq́ paludis
Sterneret aequor aquis: remo vt luctamen abeſſet.

Ptolemaeus: Μέχρι τῆς αὐτῆς τοῦ Τίγριδος πηγῶν, αἳ ποιοῦσι λίμνην τὴν καλουμένην Θοσπῖτιν. Salmaſ. legit Θωπῖτιν. Quem locum Auienum ob oculos habuiſſe crediderim. Strabo lib. 15. lacus, a quo Tigris excipitur, nomen non producit. Libro vero inſequenti: Διαῤῥεῖ δὲ ὁ Τίγρις τὴν Θωνῖτιν καλουμένην λίμνην κατὰ πλάτος μέσην· περαιωθεὶς δὲ ἐπὶ θάτερον χεῖλος, κατὰ γῆς δύεται μετὰ πολλοῦ, καὶ ψόφου, καὶ ἀναφυσημάτων· ἐπὶ πολὺ δὲ ἐνεχθεὶς ἀφανὴς, ἀνίσχει πάλιν οὐ πολὺ ἄπωθεν τῆς Γορδυαίας. Interpres: *Labitur Tigris per lacum, qui Thonitis dicitur, per mediam eius latitudinem: in alteram vero ripam perueniens, cum multo ſonitu, ac flatu terram ſubit, diuque ita lapſus, vt videri non poſsit, rurſum exoritur non procul a Gordyaea.* Plin. lib. 2. c. 103. vocat *Arethiſſam*, & lib. 6. c. 27. prodictum eſt. *Hoc poſteriore loco alium narrat lacum intratum Tigridi: Alterum deinde tranſit lacum, qui Thoſpites appellatur, rurſuſque in cuniculos mergitur.* Ex quo loco ſcribendum videtur in Auieno *Thoſpite.* Procedamus cum Plinio, qui de Tigri pergit dicere: *Tam vicinum Arſaniae fluere eum in regione Arrene: Claudius Caeſar auctor eſt, vt cum intumuere,*

con-

confluant, nec tamen miſceantur, leuiorque Arſanias innatat IIII. M. ferme ſpatio. Minus vero mirum aquas aquis innantes non immergi: quam terras: grauius namque harum pondus, aquae leuiores. Altrinſecus aquae magis dilabiles, & miſturae faciliores: terris quia ſua conſtipatio eſt, ac firmitas, dum leuitate adiuuentur, & figura, ſeu ſpatio ſuo, difficilius perrumpunt vndas.

CAP. II.

Titareſius Peneo illabitur impermiſtus. Eurotas, Eurotus.

Titareſium impermiſtum in Peneium influere hiſtoriae, omniſque ſcientiae parenti Homero credimus in Catalogo:

Ο῎ς ῥ᾽ εἰς Πηνειὸν προΐει καλλίῤῥοον ὕδωρ,
Ο᾽υδ᾽ ὅγε Πηνειῷ συμμίσγεται ἀργυροδίνῃ,
Α᾽λλά τέ μιν καθύπερθε ἐπιῤῥέει ———
Ο῎ρκȣ γὰρ δεινȣ̃ Στυγός ὕδατός ἐστιν ἀποῤῥώξ.

Proÿcit

Proijcit in Peneon aquas, cui pulcra fluenta
Haut miſcet (quamuis vortex argenteus illi)
At ſuper ille fluens delabitur ———

Ex Homeri nectareis fontib. haurit, promitq. Lucanus lib. 1.

Solus in alterius nomen cum venerit vndae
Defendit Titareſus aquas, lapſuſque repente
Gurgite Penei pro ſiccis vtitur aruis.
Hunc fama eſt Stygijs manare paludib. amnem,
Et capitis memorem fluuij contagia vilis
Nolle pati, ſuperumq. ſibi ſeruare timorem.

Deuenuſtat hos verſus vox prima *Solus*, quam tota haeç tractatio labefactat. Diſcedit ab Homeri ratione Lucanus, vt ſpecioſum miraculum vana diuinatione nobilitet. Quod mirarer equidem, niſi Plinius & Homerum exoſculatus eſſet, & huiuſce fabellae vanitate lectoribus blandiretur lib. 4. c. 8. vbi de Peneo: *Accipit amnem Euroton, nec recipit: ſed olei modo ſupernatantem, vt dictum eſt Homero, breui ſpatio portatum abdicat: poenales aquas, diriſque genitas argenteis ſuis miſceri recuſans.* Apud Homerum ſuperiorib. cohaeret:

Ὅρκου γὰρ δεινοῦ Στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀπορρώξ.

In quae

Digitized by Google

In quae ludit Interpres: Δέδιε γὰρ πως ὁ Πηνειὸς τὴν ἀνάκρασιν, ὡς εἴπερ ἔμψυχος ἦν· ποιητικῆς δὲ καὶ τοῦτο γλυκύτητος. *Reformidat enim quodammodo Peneus commiſtionem, tanquam animatus ſit. Poëtici genus hoc oblectamenti eſt.*

Scitor ego de Plinio, alibine Titareſius *Eurotos* nominetur? Haut opinor. Alij *Eurotan* reſcribunt. Eos, & *Eurotan*, & *Euroton* Pintianus exſibilat: reponit *Europo*. Error geminus: Ortelius rectiſſime correxerat. Auctores ſi nominaſſet, Pintianum puditum correcturae ſuae fuiſſet. Adſum illi ſuccenturiatus. Euſtathius in Catalogum Homeri: Ο' δὲ Γεωγράφος Ε'υρώταν δοκεῖ καλεῖσθαι τὸν Τιταρήσιον. Eccum tibi Strabonem lib. 6. Τὸν Ε'ρασῖνον ἐκδίδωσι ποταμόν· καὶ πάλιν τὸ πρὸς Α'ρκαδικὴν Α'σέαν, ὑποβρύχιον ὠσθέν, ὀψέποτε τόν τε Ε'υρώταν, καὶ τὸν Α'λφειὸν ἀναδίδωσιν. Interpres: *Eraſinum edit amnem, rurſumque aqua ad Aſeam Arcadicam infra terram depulſa, longo poſt interuallo Eurotam, atque Alpheum edit.*

CAP. III.

Alpheus an mari innet, an ſubter, an aquas miſceat.

ALpheum ſic attiguum mari profluere, vt aquas aquis non commiſceat magna veterum conſenſione traditur. Libanius in Prog. φυλάττων ἀμιγὲς ἐν θαλάττῃ τὸ ῥεῖθρον: *Alueum mari ſeruans impermiſtum.* Verum *ſubter mare* an ſuffundatur, quae opinio plurimum inueterauit, an ſuper mare, quod quibuſdam viſum, exſpatietur, controuerſioſum eſt. Nonnus Baſſaricorum lib. 13. cum per ſumma ponti fluere canit, Alpheum ſuperiorem agnoſcit:

Στέμματι Πισαίῳ κομόων Ἀλφειὸς ἀλήτης
Πορθμεύων βατὸν οἶδμα, καὶ ἀκροτάτου διὰ πόντου
Ἕλκει δοῦλον ἔρωτος ὑπέρτερον ἄβροχον ὕδωρ.

Corona Piſaea comtus Alpheus erro
Traijciens euntes vndas, & ſummum per mare
Trahit ſeruilem Amoris aquam ſuperiorem.

Nota

Nota Nonni os Maroniano reddi posse *Mare per summum fluctu suspensu' tumenti Ferret iter* —— Papinius lib. 4. Thebaidos idem insinuat:

Qui te flaue notant terris Alphee Sicanis

Aduena tam longo non vnquam infecte profundo.

Κομψῶς prius erat dictus *Transfuga*. Qui *Subter mare* Alpheum transuehunt, per cuniculos terrarum transuehunt, mirum vt minime sit *tam longo profundo non infici*: sic tamen transuehi raro exemplo mirum sit. At mirius est vehi super aquas, nec inuicem combibi tam longo spatio. Et ponto supernat Alpheus apud Lucianum in Dialogo Alphei, & Neptuni: Τί τοῦτο, ὦ Ἀλφειέ, μόνος τῶν ἄλλων ἐμπεσὼν εἰς τὸ πέλαγας οὔτε ἀναμίγνυσαι τῇ ἅλμῃ, ὡς ἔθος ποταμοῖς ἅπασιν, οὐδὲ ἀναπαύεις σεαυτὸν διαχυθεὶς, ἀλλὰ διὰ τῆς θαλάσσης ξυνεστὼς, καὶ γλυκὺ φυλάττων τὸ ῥεῖθρον, ἀμιγὴς ἔτι, καὶ καθαρὸς ἐπείγῃ. Haec sunt: *Quid hoc rei est, Alphee? Solus ex alijs in mare illapsus, neque salso misceris, quod fluuijs suetum omnibus, neque tui diffundendi pausam facis: at per mare tibi constans, & dulcem seruans fluorem, adhuc impermistus, purusque festinas.* Et vero ratio postulat, dulcior vt vnda salsae supermeet, quod non multo post erit apertius.

Verum Alpheum occultas ſubter mare vias egiſſe, nec inſertim illapſum mari diſertiſſime omnium deſcripſit Moſchus:

> Ἔρχεται εἰς Ἀρέθοισαν ἄγων κοτινηφόρον ὕδωρ,
> Ἕδνα φέρων καλὰ φύλλα, καὶ ἄνθεα, καὶ κόνιν ἱράν.
> Καὶ βαθὺς ἐμβαίνει τοῖς κύμασι· τὴν δὲ θάλασσαν
> Νέρθεν ὑποτροχάει· κ' οὐ μίγνυται ὕδασιν ὕδωρ.

Maro lib. 3.

> ——— *Alpheum fama eſt huc Elidis amnem*
> *Occultas egiſſe vias ſubter mare, qui nunc*
> *Ore Arethuſa tuo Siculis confunditur vndis.*

Item Ecloga 10. Venuſtiſſima ſunt iſta incerti Auctoris lib. 1. Anthologiae:

> ——— Ἐπὴν δὲ ἐς πόντον ἵκηαι,
> Ὀξὺς ἀμετρήτοιο πεσὼν ὑπὸ κῦμα θαλάσσης
> Νυμφίος αὐλοκέλευθος ἑῶν ὀχετηγὸς ἐρώτων.

Perſpicua breuitate Pomponius Mela lib. 2. c. 7 *Mirabilem Arethuſam. Fons eſt, in quo viſuntur iacta in Alpheum amnem, vti diximus, Peloponneſiaco litori infuſum: vnde ille creditur non ſe conſociare pelago; ſed ſubter maria, terraſque depreſſus huc agere alueum, atque hic rurſus ſe extollere.* Antigonus c. 155. hiſt. Mirab. Ἐν ταῖς Ὀλυμπιακαῖς ἡμέραις, ὅταν ἐν τῷ ποταμῷ ἀποπλύνουσι τῶν θυμάτων τὰς κοιλοίας, οὐ καθαρὸν εἶναι,

εἶναι, τὴν ἐν τῇ Σικελίᾳ κρήνην, ἀλλὰ ῥεῖν ὄνθῳ. φησὶ δὲ καὶ φιάλην ποτὲ εἰς τὸν Ἀλφειὸν ἐμβληθεῖσαν ἐν ἐκείνῃ φανῆναι· Τοῦτο δὲ ἱστορεῖ καὶ Τίμαιος. *Cum celebrantur Olympiaca, lauantque ſacrificiorum ventres, impurus fluit Siciliae fons turbatior ſtercore. Narrant etiam phialam olim in Alpheum abiectam in illa* [Arethuſa] *viſam. Hoc vero Timaeus denarrat.* Sic intellige Apollinaris Sidonij carmen nonum:

> ——— *Vt per ima ponti*
> *Alpheus fluat, atque tranſmarina*
> *In fluctus cadat vnda coniugales.*

Alpheus nimis vxorius *ore Arethuſa tuo Siculis confunditur vndis*, ipſe *tranſmarinus* in ortu ſuo: non tamen confunditur cum marinis, quibus attiguus eſt quorundam ſententia (non Melae, qui dicit *ſubter maria, terraſque*) nec immergetur, ſed *per ima ponti* fluit, ſeu Moſchi ore —— τὰν δὲ θάλασσαν Νέρθεν ὑποτροχάει. Idem per nebulam docet Plinius l. 2. c. 103. *Quidam vero odio maris ipſa ſubeunt vada, ſicut Arethuſa fons Syracuſanus, in quo redduntur iacta in Alpheum, qui per Olympiam fluens, Peloponneſiaco litori infunditur.* Affunditur potius mari, ſaltem non inſertim confunditur. Clarius lib. 31. c. 5. *Alpheus in illa inſula ſub ima maria permeat.*

 Auie-

Auienus ——— *Sic Elidis incola pontum*

Diſijcit Alpheus: pelago ſic inſerit vndas
Illaeſum optatae flumen ducens Arethuſae.

Pontum diſijcit: non ergo miſcetur: non ergo ſupernatat, ſed ſubiens dorſo ſuo pontum ſuſtinet, ſuccutit, *diſiicit*, vt remaneat *illaeſus*, impollutus, diſcretus.

Mare hoc Ionium eſt. Marcellinus lib. 15. *Alpheus oriens in Arcadia, cupidine fontis Arethuſae captus, ſcindens Ionium mare, vt fabulae ferunt, aduſque amatae confinia progreditur.* Idem ab Ouidio ſignari deprehendet non ſegnis lector. Metamorph. 5. loquitur Arethuſa.

Delia rupit humum: caecis ego merſa cauernis
Aduehor Ortygiam [ex Elide] *quae me cognomine diuae*
Grata mihi ſuperas eduxit prima ſub auras.

Cum e ſuperis locis Alphei aqua in *Arethuſam* euoluatur, atque e dulcitudine etiam Geographo animaduerſa, cunctiſque nota, eadem ſit Arethuſae aqua, Alpheique iure Arethuſa *Caecis merſa tenebris aduehi Ortygiam* ſcribitur, cum ſubit mare, oculoſque fugit.

Verum his inequitat Strabo lib. 6. cuius verba, ne in ſuſcepto negotio praeuaricari videamur, recomponenda.

Digitized by Google

ponenda. Lib. 6. vt narrationem hanc fabulae nomine dehoneſtauit, irriſitque phialam in Alpheum lapſam, deuolutamque tandem per tot terrarum tractus, amfractuſque in Arethuſam, vt Pindari verſus, ac Timaei hiſtorici ſententiam propoſuit haec ille: Εἰ μὲν οὖν πρὸ τοῦ συνάψαι τῇ θαλάσσῃ κατέπιπτεν ὁ Ἀλφειὸς εἴς τι βάραθρον, ἦν τις ἂν πιθανότης ἐντεῦθεν διήκειν κατὰ γῆς ῥεῖθρον μέχρι τῆς Σικελίας, ἀμιγὲς τῇ θαλάττῃ διασῶζον τὸ πότιμον ὕδωρ. *Enimuero*, inquit, *ſi Alpheus priuſquam mare attingat, in voraginem aliquam decideret: veri vtcumque ſimile foret inde infra terram fluuium ad Siciliam vſque peruenire, ita vt potabilem aquam marinae impermiſtam ſeruaret.* Proſequitur Strabo: Ἐπειδὴ δὲ τὸ τοῦ ποταμοῦ στόμα φανερόν ἐστιν εἰς τὴν θάλατταν ἐκδιδόν, ἐγγὺς δὲ μηδὲν ἐν τῷ πόρρω τῆς θαλάσσης φαινόμενον στόμα, τὸ καταπῖνον τὸ ῥεῦμα τοῦ ποταμοῦ, καίπερ οὐδ᾽ οὕτως ἂν συμμεῖναι γλυκύν, ὅμως τό γε ἐπὶ πλέον εἰ καταδύνει εἰς τὸ κατὰ γῆς ῥεῖθρον παντάπασιν ἀμήχανόν ἐστι. Τό, τε γὰρ τῆς Ἀρεθούσης ὕδωρ ἀντιμαρτυρεῖ πότιμον ὄν. τό, τε διὰ τοσούτου πόρου συμμένειν τὸ ῥεῦμα μὴ διαχεόμενον τῇ θαλάττῃ, μέχρις ἂν εἰς τὸ πεπλασμένον ῥεῖθρον ἐμπέσῃ, παντελῶς μυθῶδες. Interpres: *Nam cum oſtium Alphei manifeſto in mare exeat, neq. in vicinia, & procul a mari vllae fauces appareant, quae amnem abſorbeant: quanquā ne ſic quidem totus permaneret dulcis, tamen maiori ſui parte, ſi in alueum ſubterraneum deſcendit, omnino fieri non poteſt.*

Contra

Contra enim teſtimonium, dicit aqua Arethuſae, quae eſt potui: & per tantum maris traiectum ita inter ſe cohaerere amnem, vt non miſceatur mari, donec in ficticium iſtum alueum incidat, plane fabuloſum eſt. Hactenus Strabo, cui interpretem aduinximus eorum voto, qui nebulas Graecanicae dictionis dequeruntur. Fatetur Alpheum, ſi in voraginem laberetur, ante quam in mare conueniat, futurum probabile, mari impermiſtam retinere vndam advſque Siciliam. Quod ita ſeſe habere credo Maroni lib. 3.

——— Alpheum fama eſt, huc Elidis amnem.
Occultas egiſſe vias ſubter mare, qui nunc
Ore Arethuſa tuo Siculis confunditur vndis.

Et Ecloga 10. vbi *Doris amara ſuam non intermiſceat vndam* dicta eſt: quia, vt Gregorius Nazianzi ſcripſit in Epitaphio Baſilij de Alpheo: Ποτιμὸς δι' ἄλμης ῥέων γλυκύς: *Potabilis per ſalſum mare fluens dulcis.*

Vibius ſequeſter: *Arethuſae fonti miſcetur.* Papinius lib. 4. Thebaïdos:

Qui te flaue notant terris Alphee Sicanis
Aduena tam longo non vnquam infecte profundo.

Prius *Transfuga* κομψῶς dictus erat. Silius l. 14.

Alpheum ſacrae portantem ſigna coronae.

Moſchus:

Moſchus: Ἕδνα φέρων, καὶ φύλλα, καὶ ἄνθεα, καὶ κόνιν ἱρὰν εἰς Ἀρέθοισαν. Syracuſas ſacrum certaminum puluerem, flores, frondes, dotem, coronam perferre nequit Alpheus, niſi ſubito mari, & nec ſubire mare, niſi voraginis alicuius receptaculo vſus, ac tranſmiſſus. Papinius lib. 1. Siluarum:

Amnis in externos longe flammatus amores
Flumina demerſo trahit intemerata canali,
Donec Sicanios tandem perlatus anhelo
Ore bibat fontes ———

Seneca ſupra: Sic *cum vides Tigrim minui primum, deinde conſumi: quo illum putas abire, niſi in obſcura terrarum: vtique cum videas emergere iterum, non minorem eo, qui prior fluxerat?* inquit Seneca lib. 6. qq. Natur. c. 8. *Quid, cum vides Alpheum celebratum Poëtis in Achaia mergi, & in Sicilia rurſus tranſiecto mari effundere amoeniſſimum fontem Arethuſam?* Non narratum fabularem, ſed ipſos tuos oculos appellat, & conteſtatur, & quod in *Achaia mergi* dicit, Mela dicit *Peloponneſiaco litori infuſum* poſt Plinium.

Aliud offenſaculum a Strabone. Per mare tam vaſtum, tam ſpatioſum labi Alpheum indiſtanter aquis imperturbatis plane fabuloſum adſerit. At ſi ſic labi poteſt per M. P. aut bis M. cur non poterit

terit per IV. M P. & quod excurrit? Iuſtin. l. 42. *Tigris fluuius modicis primo incrementis naſcitur: interiecto deinde aliquanto ſpatio, ſub terras mergitur, atque ita poſt quinque & viginti millia paſſuum grande iam flumen in regione Sophene emergit, ac ſi in paludes Euphratis recipitur.* Strabonis ſententiam oppugnat Fazellius Decadis 1. l. 34. c. 1. Contra nititur Cluuerius lib. 1. Siciliae c. 12. Quacunque ex cauſa aperta; vel operta hoc eueniat, eadem in longo, & breuiore ſpatio valebit reiectis obicibus.

Tertio incurrit quaeritans fauces nouas, quib. ſe Alpheus terris infundat. At non ſunt neceſſariae: ſeipſum reddit terris, eo modo quo plurimae venae, ſcaturigines, fluuij mergentur notis ſibi vijs, quas natura, vel humana parauit induſtria. Addit Natalis Comes lib. 8 c. 21. diſputans aduerſus Strabonem: Pyramus decurrens per Cataoniam habet fontes in media planicie. Eſt autem foſſa ſatis ampla, per quam aqua defluit limpida delata clam ſub terra per magnum ſpatium, ac rurſus erumpit in apertum, mox per Taurum montem penetrat, ac defluit tanta profunditate, & anguſtia, vt canis ibi poſſit tranſilire. Inde tantum coeni trahit, vt traditum ſit hoc ab oraculo:

Ἔσσεται·

Ἔσσεται ἐσσομένοις, ὅτι Πύραμος ἀργυροδίνης
Ἠιόνα προχέων ἱερὴν ἐς Κύπρον ἵκηται.

Tempus erit niueis cum labens Pyramus vndis
Litora producet in Cyprum deinde ſacratam.

Et Orontes defluens e Meſopotamia mox ſub terram occultatur, cum rurſus erumpit apud Apamenen, atque ita profluit in mare Seleuciae, vt ait Chryſippus lib. 2. rerum Scythicarum. Narrantur in Mycale monte fontes fuiſſe in Ionia cuiuſdam fluminis, quod erat Alphei perſimile? nam illud in medium mare praeterlapſum rurſus erumpere ſolebat prope portum in Branchidis, cui portui nomen fuit Panormo, vt ait Timagetus in lib. 2. de Portub. Melas fluuius ita magnus quidem, ac ſolus e cunctis Graeciae fluminib. a fonte nauigiorum patiens, & tanquam Nilus incrementum per ſolſtitium etiam accipiens, non longe excurrens maxima ex parte in occultos lacus, exſtinguitur, & exiguam ſui partem cum Cephiſo amne commiſcet, vt ait Plutarchus in vita Syllae. Cum tanta varietas curſuum fluuiorum memoretur in varijs locis, quid mirum eſt illud quoque Alpheo flumini contingere potuiſſe, cum multi ſcriptores etiam illud affirmarint? Haec ille.

Flagitium ſit omiſiſſe Moſem Epiſcopum Syrum

prima parte Comment. vbi ait quatuor illos fluuios, qui ortum habent e Paradiſo, cum inde exeunt, deriuari per occultos meatus ſubter oceanum, retinentes ſemper illaeſum curſum ſuum, & alueum: mox vero ex oceano emergere in loca deſtinata, quae nunc irrigant. Id ni ſit, fluminum iſtorum curſum perſecutus ad Paradiſum ignotum peruenias. Pauſanias in Eliacis lib. 1. narratis Alphei amoribus ſubtexit: Τὸ δὲ διὰ τῆς θαλάσσης ἰόντα, ἐνταῦθα ἀνακοινοῦσθαι τὸ ὕδωρ πρὸς τὴν πηγὴν δυκ ἐστιν, ὅπως ἀπιστήσω, τὸν θεὸν ἐπιστάμενος, τὸν ἐν Δελφοῖς ὁμολογοῦντά σφισιν, ὃς Ἀρχίαν τὸν Κορίνθιον ἐς τὸν Συρακουσῶν ἀποστέλλων δικισμὸν, καὶ τάδε εἶπε τὰ ἔπη.

Ὀρτυγίη τις κεῖται ἐν ἠεροειδεῖ πόντῳ
Θρινακίης καθύπερθεν, ἵν' Ἀλφειοῦ στόμα βλύζει
Μισγόμενον πηγαῖς εὐριπαίης Ἀρεθούσης.

Poſt pauca: Ὅσοι δὲ Ἑλλήνων, ἢ Αἰγυπτίων ἐς Αἰθιοπίαν ὑπὲρ Συήνης, καὶ ἐς Μερόην Αἰθιόπων πόλιν ἀναβεβήκασι λέγουσιν οὗτοι τὸν Νεῖλον ἐσιόντα εἰς λίμνην, καὶ δι' αὐτῆς διεξιόντα, ὥσπερ ἐκ χέρσου, μετὰ τοῦτο ἤδη δι' Αἰθιοπίας τῆς κάτω, καὶ ἐπ' Αἴγυπτον ῥεύσαντα, ἐπὶ Φάρον, καὶ τὴν ταύτῃ θάλασσαν κατέρχεσθαι. Ἐν δὲ τῇ γῇ ποταμῶν τινα Ἑβραίων καὶ αὐτὸς οἶδα Ἰόρδανον λίμνην Τιβερίδα ὀνομαζομένην διοδεύσαντα, ἐς δὲ τὴν λίμνην ἑτέραν καλουμένην θάλασσαν νεκρὰν, ἐς ταύτην ἐσιόντα, καὶ ὑπὸ τῆς λίμνης αὐτὸν ἀναλούμενον.

Amaſaeus: *Meantem vero ſubter mare amnem fonti apud Syracuſas immiſceri, quid cauſae ſit, quare non*

non credam, non plane video, cum Delphici Apollinis voce rei fidem factam meminerim. Is enim Archiam Corinthium ad Syracuſas coloniam deducendam proficiſci iubens, huiuſmodi vſus eſt verſibus:

Trinacriam ſupra medio iacet inſula ponto,
Ortygiam dixere, vbi cana fluenta refundit
Alpheus pulcrae ſeſe immiſcens Arethuſae.

Nec multo poſt: *Et ſane Graecorum quotcumque, vel Aegyptiorum, qui in Aethiopiam ſupra Syenen, vel ad Meroën profecti ſunt, Nilum narrant paludem quandam ingreſſum, atque inde tanquam ex continenti terra elapſum per Aethiopiam inferiorem in Aegyptum decurrere, ac poſtea in mare, quod ad Pharum eſt, erumpere. In Hebraeorum finibus amnem ipſe vidi Iordanem, qui ſtagnum, Tiberiadem nuncupatum ſubit: ac deinde in alterum ſtagnum cui mare mortuum nomen eſt, ingreſſus, in ea ipſa palude conſumtus euaneſcit.*

Quarto de Alpheo narratio Straboni fabuloſa iudicatur, quia ſimilis de Rhodano non edecumatae fidei eſt. De Rhodano igitur dicere ingredimur.

CAP. IV.

Rhodanus cui miſceatur aquae, cui non. Arna. Braſiliae fluuius argenteus.

MIrabilem Rhodani naturam cura magna nobis delineauit Ammianus Marcellinus lib. 15. *A Poeninis Alpibus effuſiore copia fontium Rhodanus fluens, & procliui impetu ad planiora digrediens proprio agmine ripas occultat, & paludi ſeſe ingurgitat nomine Lemano, eamque intermeans nuſquam aquis miſcetur externis: ſed altrinſecus ſummitates vndae praeterlabens quaeritans exitus viam ſibi impetu veloci molitur.* Caſauboni nota eſt in librum Strabonis quartum: *De Rhodano Lemani lacus accolae hoc negant eſſe verum. Ego certe cum diligenter, id obſeruauerim, vidi rem non eſſe tam miram, quam volunt videri plerique veterum.* Strabo ipſe libro ſexto, vbi de Alpheo delitigauit, aegre ſe hoc de Rhodano credere ſcribit: Μόλις γὰρ ἐπὶ τοῦ Ῥοδάνου τοῦτο πιστεύομεν, ᾧ συμμένει τὸ ῥεῦμα, διὰ λίμνης ἰὸν ὁρατὴν σῶζον τὴν φύσιν: *Vix enim hoc de Rhodano*

Rhodano credimus, qui per lacum fluens ſuo continetur alueo, fluxu etiam oculis manifeſto. Qui vix, aut aegre credit, credit tamen. Fidei autem ſuae rationem confert: quia Rhodanus minus ſit ſpatioſus, & quietior aliquantulum. Vbi autem decurrit Alpheus tempeſtatibus immanibus, ac procellis turbantibus, eum non miſceri pelago, nulla fides. Tunc profectò, tunc non miſceri, non eius placidum agmen inſultantibus, atque collidentibus vndis non offendi quis credat? Verum ſaeua hiems, nec eſt pelagi natura, nec Alpheï: eſt πάθος ab externis cauſis inuectum. Et vt ſit, alia eſt de Alpheï ingenio, aut ingenita fluendi conſuetudine: alia de Rhodani diſceptatio.

Noto Strabonem libro quarto de Rhodano, & Arari pacem in conuentu placidam ſeruantibus, nec mutuas aquas impedientibus fidem ſuam expedire: Υ'πέρκειται τῆς Ο'υιέννης, τὸ Λούγδουνον, ἀφ' οὗ συμμίσγουσιν ἀλλήλοις ὅ,τε Α'ραρ, καὶ ὁ Ρ'όδανος: *Supra Viennam eſt Lugdunum, quo ex loco commiſcentur inuicem Araris, ac Rhodanus.* Poſt pauca de Rhodano locus incorrectus eſt: φέρεται δὲ ἄνω τῶν πόλεων. Caſaubonus corrigit: Α'πὸ τῶν Α'λπεων. *Interpres, ab Alpibus defluit.* Quid limpidius, quam ſi dicas: φέρεται δὲ ἄνω πλείων ὄντως πολὺς, καὶ σφοδρὸς, ὅς γε καὶ διὰ λίμνης ἐξιὼν τῆς μεγάλης

μεγάλης φανερὸν δείκνυσι τὸ ῥεῖθρον ἐπὶ πολλοὺς σαδίους. Haec eo modo expedita ſunt : *Fertur ſupra natans copioſus, ac vehemens , qui etiam exiens per ingentem lacum alueum ſuum ad multa ſtadia conſpicuum oſtendit.* Cauſam deprauati loci poſſumus ex libro primo Strabonis dicere : Νυνὶ δὲ τἀληθὲς ταράττει τὴν αἴσθησιν , καὶ δείκνυσιν ἀπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων. *Nunc veritas* , inquit , *turbat ſenſum* , *& nullam eorum eſſe experientiam* , *quae natura eueniunt* , *oſtendit.* Qui aquas diuerſorum fluminum diuerſas, impermiſtaſque animo experientia deſtituto non imbiberunt, turbantur , hanc vbi veritatem deſcriptam reperiunt. Sic ipſemet Strabo l. 6. vbi de Alpheo vbertim diſſeruit, aegre de Rhodano admittit : quia vel vtriſque ea concedenda praerogatiua , vel vtriſque demenda. Nam ecce tibi libro quarto Rhodanus πολὺς , καὶ σφοδρὸς multus, ac vehemens non tam fluit, quam ruit : attamen φανερὸν δείκνυσι τὸ ῥεῖθρον ἐπὶ πολλοὺς σαδίους. Quo dicendi genere impermiſtus oſtenditur. Cum enim alias vndae permiſcentur , Strabo ſic loquitur: Κοινῷ ῥείθρῳ. Item : Εἰς ἓν συμμιγὲς ῥεῖθρον, vt in ſuperioribus non ſemel. Neque ſoli Arari miſcetur Rhodanus , verum & Eridano. Apolllonius lib. 4.

Digitized by Google

Ἐκ δὲ τόθεν Ῥοδανοῖο βαθὺν ῥόον εἰσεπέρησαν,
Ὅστ' εἰς Ἠριδανὸν μετανίσσεται· ἄμμιγα δ' ὕδωρ
Ἐν ξυνοχῇ βέβρυχε κυκώμενον ——

Exinde Rhodani altum fluentum traiecerunt, qui in Eridanum delabitur, miſtimque in conuentu turbata aqua murmurauit.

At cur res non tam mira viſa Caſaubono, Rhodanum per Lemanum fluere ἀμιγῆ? Quia plus miratum ſe dicit, quod in Arna obſeruauit. Is eſt fluuius, qui Rhodanum ingreditur C. circiter paſſus emenſum, poſtquam e lacu Gebenenſi exijt. Tanta eſt autem eius fluuij, ſeu verius torrentis vehementia, tantaque rapiditas, vt Rhodani alueum ingreſſus multos fluat paſſus ante, quam ei miſceatur: ita vt duo flumina iuncta quidem, ſed nullo modo miſta eodem labantur alueo. Haec ille. Porro Lemani lacus accolae, quo tempore ſcripſit Marcellinus, fidem ſuper Rhodano faciant. Poſteris temporibus, vti variarum rerum ſtatus mutari potuit: ſic Rhodani. Vt ex tellure fretum: ex aequore terra fuit pro aeui differitate: ſic potuit & Rhodanus Lemano imperturbatus ſupernare, & turbatior alijs, alijſque tẽporibus. Quare Plinius vbi dulces etiam aquas dulcibus ſupermeare commemorat, in exemplum producit in *Lemano Rhodanum*, & accumulat paria lib. 2. c. 103.

T *Quae-*

Quaedam vero & dulces ſupermeant alias. Vt in Fucino lacu inuectus amnis, in Lario Addua, in Verbano Ticinus, in Benaco Mincius, in Seuinno Ollius, in Lemana Rhodanus: hic trans Alpes ſuperiores in Italia, multorum millium tranſitu hoſpitales ſuas tantum, nec largiores, quam intulere aquas euehentes. Proditum hoc & in Oronte amne Syriae, multiſque alijs.

Conimbricenſes in libb. Meteor. Ariſtotelis tractatu 9. cap. 9. Vnus eſt inſignis fluuius in Braſilia, quem Argenteum appellant. Is quadraginta leucarum oſtio ſeſe in medium pelagus infert tanta rapiditate, vt nautae antequam in terrae conſpectum veniant, dulcem ex eo aquam hauriant. Huic alius non abſimilis per Congi, & Angolae regna labitur, qui qua mare intrat, ſex & triginta millium paſſum latitudinem obtinet, & tam violentus in mare irrumpit, vt diſiectis fluctibus quamlongiſsime proprium in mari alueum ſeruet, nautiſque inter aquas marinas ad octoginta millium paſſuum dulces latices praebeat. Plin. l. 3. c. 2 de fluuijs duobus in Macedonia non procul Euripidis ſepulcro. Ioſephus Acoſta lib. 2. c. 6. naturalis Indorum hiſtoriae. Magdalis fluuius ingens per S. Martham, & Carthagenam mari ſe mergit. Eius vnda limpidiſſima decem M. P. mari inequitat.

inequitat. Huius aquae latitudo per duo miliaria ſuperat impermiſta. Et, quod incredibilius videri queat, ſic aquae ſuperae tuetur honorem, vt ſaeuiat licet oceanus, & impetum capiat, nihilominus a ſurgenti fluctu non ſuperetur. Americae Maragnonius ad P. M. CC mari ſupernat dulces ſemper vehens aquas, Ouetus ab Bembum Cardinalem. Haec narratio Strabonis rationem iugulat. Hoc narratu Strabonis altera ratio vires perdit. Caſſiodorus lib XI. depicta Como, & Addua ſubiectiore fluuio, ſic de illo: *Qui ideo tale nomen accepit, quia duobus fontibus acquiſitis quaſi in proprium mare deuoluitur, qui tanto impetu vaſtiſſimi aequoris vndas incidit, vt nomen retinens, & colorem in Septemtrionem obeſiore aluei ventre generetur. Putes quandam lineam fuſciorem in aquis albentibus eſſe deſcriptam: miroque modo influentis diſcolor natura conſpicitur, quae miſceri poſſe ſimili liquore ſentitur: Hoc & in marinis quidem fluctibus fluuiorum inundatione contingit. Sed ratio ipſa vulgariter patet, vt torrentes praecipites limoſa faece corrupti vitreo ſint aequori diſcolores. Hoc autem iure putabitur ſtupendum, quod ſimile tantis qualitatib. elementum per pigrum ſtagnum videas ire celerrime, vt amnem per ſolidos campos putes decurrere, quem ſe peregrinis vndis non videas colore poſſe miſcere.*

CAP. V.

Cauſa prima cur alijs alia influant flumina imperturbata. Characometes. Aquae oleaginoſae. Antipathia.

MOuentium terrarum cauſas ante ſcrutatos, fluuiorum quoque alijs inequitantium vndis, ac veluti per terram abſque ſui detrimento ſerpentium. & ſine immerſu, cauſas altius rimari par eſt. Quibuſdam igitur aquis natura eſt non vſque abſimilis oleo, ita vt ſuper aquis alienigenis defluant, nec eas inficiant. S. Ambroſius lib. 3. Hexaëm. c. 15. *Tactus ipſe aquae alibi ſuauis, alibi aſperior, plerumque pinguior eſt.* Marina praeſertim. Plutarchus lib. 1. Sympoſ. Problemate 9. Λιπαρὰ δὲ ἡ θάλασσα .... ὅτι δὲ ἐστι λιπαρὰ καὶ αὐτὸς εἴρηκεν Ἀριστοτέλης· οἵ τε γὰρ ἅλες λίπος ἔχουσι, καὶ τοὺς λύχνους βέλτιον παρέχουσι καομένους, αὐτή τε ἡ θάλασσα προσραινομένη ταῖς φλοξὶ συνεκλάμπει, καὶ καίεται μάλιστα τῶν ὑδάτων τὸ θαλάττιον. *Pingue eſt mare .... quod & Ariſtoteles ipſe dixit. Nam ſal pinguitudinem habet, & lucernas commodius*

Digitized by Google

dius accendit, ipſaque marina flammis irrorata collucet, & facillime omnium aquarum accenditur marina. Vitruuius lib. 8. c. 3. *Alij autem per pingues terrae venas profluentes; vncti oleo erumpunt, vti Solis, quod opidum eſt Ciliciae, flumen nomine Liparis, in quo natantes, aut lauantes, ab ipſa aqua vnguntur. Similiter Aethiopiae lacus eſt, qui vnctos homines efficit, qui in eo natauerint.* Titareſio tale ingenium adſcribitur in Catalogo:

Ο'υδ᾽ ὅγε Πηνειῷ συμμίσγεται ἀργυροδίνῃ
Α᾽λλά ᾗ μιν καθύπερθεν ἐπιρρέει, ἠύτ᾽ ἔλαιον.

Haut ſe miſcet: ei quamuis argenteu' vortex:
At ſuper ille fluens delabitur inſtar oliui.

Et ſi vero Η᾽ύτ᾽ ἔλαιον non omnium fortaſſe expleat exſpectationem, & rationis potius imago, quam ipſa videri poſſit: ſuccurrit interpres Graecus: Ο᾽τι τὸ μὲν Πειναίου ὕδωρ καθαρόν ἐςι τὸ δὲ τοῦ Τιταρησίου λιπαρὸν ἐκ τινος ὕλης· ὥςτε ου σιμμίσγεται, ἀλλὰ καθύπερθεν ὑποτρέχει, καθὰ ἔλαιον. *Penei vnda limpida eſt: Titareſij pinguiuſcula ex materia eiuſmodi, quae non commiſcetur, ſed ſuperne, velut oleum incurrit.* Οἷον ἐλαιηρὰ ςάγες ὕδατος, inquit Apollonius. Euſtathius: Διὰ τὴν γλισχρότητα μεταλλικὴν, *Propter lubricitatem metallicam.* Oleo enim, ac oleaginoſo nare inſitum eſt. Solin. c. 11.

In lacu Agrigentino oleum ſupernatat. Hoc pingue haeret arundinum comis de aſsiduo volutabro equarum capillamentis legitur vnguentum medicum contra armentarios morbos. Ad ſcabiem iumentorum dixit Plinius lib. 35. c. 15. In Cartaginenſium ditione ſimilem olei fontem nobilitauit Ariſtoteles libro de Miraculis auditis: Ἐν τῇ ἐπικρατείᾳ τῶν Καρχηδονίων ὄρος εἶναι λέγεται, ὃ καλεῖται Γώνιον ... Πρὸς δὲ τοῦτον τὸν τόπον κρήνην ἐλαίου φασὶν εἶναι· τὴν δὲ ὀσμὴν ἔχειν τοῦ κέδρου τοῖς ἀποπρίσμασιν ὁμοίαν. Interpres eſto Vitruuius lib. 8. c. 3. *Item Cartaginis fons eſt, in quo natat inſuper oleum odore, vt in ſcobe citrea, quo oleo etiam pecora ſolent vngi.* Athenaeus lib. 2. Dipnoſophiſtarum. Ἐν τῇ Καρχηδονίων δὲ ἐπικρατείᾳ κρήνη ἐστὶν, ᾗ τὸ ἐφιστάμενον ἐλαίῳ ἐστὶν ὅμοιον, μελάντερον τὴν χρόαν, ᾧ ἀποσφαιροῦντες χρῶνται πρὸς τὰ πρόβατα, καὶ κτήνη. Dalecampius: *In Cartaginenſium dominatu fonti liquor innatat oleo ſimilis colore nigrior, quo excepto ad iumentorum, & ouium ſcabiem vtuntur.* Potuit Iatrices cognitione Dalecampio naturae aliquod arcanum gnarum eſſe aduerſus animalium ſcabiem ex id genus oleo, quod minus noui: οὐ γὰρ ἐγὼ Ἀσκληπιαδῶν ἔριος: neque Athenaei manus expreſſit. Neque lego Ἀφαιροῦντες cum Dalecampio: ſed Ἀποσφαιροῦντες, vertoque abſque acceſſione, aut

immu-

immutatione : *Conglobantes ad iumenta, & pecora vtuntur*, curanda ſcilicet. Varijs autem morbis ea res mederi poteſt, & varijs tentantur pecora, non *Oues* dumtaxat. Προβάτων namque latior eſt ſignificantia, quam *Ouium*. Eandem, Dalecampio ſcabiem contraxit Siciliae nuperus ſcriptor Cluuerius. Addo verba iſta omnia Athenaei inuariata reproduci in Catalogum Homeri, repetique Α᾿ποσφαιροῦντες, non Α᾿φαιροῦντες ab Euſtathio. Adijcit inibi Athenaeus (& ab eo Euſtathius) circa Trallis, & Characometen fluuium, circa Nyſſam quoque adeo pinguem eſſe aquam, vt qui lauant, oleum non deſiderent. Daſculi quoque aquas perſimiles. Cteſias apud Photium in Indiae Pygmaeis eſſe lacum, cuius octingentum ſtadiorum ſit ambitus, vbi vento minime ſpirante ἐπάνω τῆς λίμνης ἔλαιον ἐφίσαται : *Supra lacum oleum inſtat.* Referunt *olei* quoque fontem in Aſia Alexandro M. repertum Euſtathius inante, Curtius in hiſtoria, Plinius. Idem Cteſias fontem aperit in India, in quo κατὰ τὰς ἰδιαζούσας ἡμέρας ἐπιπολάζει ἔλαιον. Vitruuius loco ſupero interpretabitur : *In India* [fontem] *qui ſereno coelo emittit olei magnam multitudinem.* Syriacam linguam refert haec phraſis, vt in

Digitized by Google

vt in Pſalmis *Multitudinem aquarum*. Sic viri praeclari, *Rabbini*. In Aethiopia Melae lib. 3. c. 10. *eſt lacus, quo perfuſa corpora, quaſi vncta pernitent*. Admiratione res digna ſequitur: *Bibitur idem adeo eſt liquidus*. Mirabiliſſimum: *Vt folia etiam proximis deciſa frondibus non innatantia ferat: ſed peſſum, & penitus accipiat*. Scrutemur rurſus lacum Agrigentinum, cum Dioſcoride lib. 1. c. C. Γίνεται δὲ κατὰ τὴν Ἀκραγαντίνων χώραν τῆς Σικελίας ὑγρὸν ἐπινηχόμενον ταῖς κρήναις, ᾧ χρῶνται εἰς τοὺς λύχνους ἀντὶ ἐλαίου, καλοῦντες αὐτὸ Σικελὸν ἔλαιον πλανώμενοι· ἔστι γὰρ ἀσφάλτου ὑγρᾶς εἶδος. *In Agrigentinorum regione, quae Siciliae pars eſt humidum gignitur fontibus innatans, quo vicem olei ad lucernas vtuntur, appellantes illud oleum Siculum per errorem. Eſt enim bituminis humidi genus.*

Secunda cauſa, Antipathia. Inſinuat Plinius lib. 2. cap. 103. de fluuijs: *Quidam vero odio maris ipſa ſubeunt vada.*

CAP. VI.

Tertia cauſa, Leuitas, & Ponderitas aquarum. Boryſthenes, Hypanis, Choaſpes. Clepſydrae cur hieme tardius demittant aquam. Leuitatis aquae ſigna. Caſaubonus examinatus.

CAuſa tertia cur aliae alijs innatent vndae, ex leuitate, & ponderitate eſt. Ponderoſior ſubſternitur: leuior emicat, & ſupereſt. Plinius repetendus lib 2. c. 103. *Dulces mari inuehuntur: leuiores haut dubie. Ideo & marinae, quarum natura grauior, magis inuecta ſuſtinent.* Seneca non diſsimili ore: *Subtilior haec, quae natat: grauior, quae ſuſtinet.* Ob eam rem Boryſthenem fert Hypanis Athen l. 2. c. 5. Τὸ δὲ Βορυσθένους κατά τινας χρόνους ἰοβαφὲς, καίπερ ὄντος καθ' ὑπερβολὴν λεπτοῦ. Σημεῖον δὲ τούτου τὸ ἐπάνω Ὑπάνιος νήχεσθαι γίνεται, διὰ κουφότητα τοῦ ἐν τοῖς Βορείοις. Dalecampius: *Aqua Boryſthenis vero certis temporibus coerulea* [cur non *Violacea? nam & mare, & omnis propemodum latex Coeruleus*] *quamuis omnium tenuiſsima, vel hoc indicio,*

quod Hypani ſupernatat ob ſummam aquarum leuitatem, quae ex Septemtrionalibus locis fluunt. Adeo vero Boryſthenis aquae ſunt tenues, vt neque nebulam, neque halitum emittant vllum, Plin. li. 31. c. 5. Certa illa tempora determinat: *Boryſthenes aeſtatis temporibus coerulens fertur, quanquam omnium aquarum tenuiſſimus: ideoque innatans Hypani.* Ibidem: *Auſtris flantibus ſuperiorem Hypanim fieri.* Et in tenuitatis argumentum profert, *quod nullum halitum, non modo nebulam emittat.* Panticapes tamen cum Boryſthene miſcetur ſupra Hylaeam. Notat Herodotus loco infero. De Boryſthene Herodoti manus expreſſit iſta lib. 4. Ῥέει τε καθαρὸς παρὰ θολεροῖσι. Interpres minus explet: *Limpidus inter turbidos fluens.* Καθαρός eſt purus aquae alienigenae. Idem Herodotus de Hypani: Ἐπὶ μὲν πέντε ἡμερέων πλόον βραχὺς, καὶ γλυκύς ἐστι. *Hypanis fluit fere quinque dierum nauigatione anguſtus, & dulcis.* Non igitur miſcetur, aut marinis vndis hoc tractu. Amareſcit tamen: Ἀπὸ δὲ τούτου πρὸς θαλάσσης τεσσέρων ἡμερέων πλόον πικρὸς δεινῶς· ἐκδιδοῖ γὰρ ἐς αὐτόν κρήνη πικρή. Atque ab hoc fonte puſillo fluuium ingentem amareſcere notat. Item Choaſpis latex, quo ex bibit Perſarum rex ὕδωρ ἐλαφρότατον, καὶ ἥδιστον Athenaeo lib. 2. Caſſiodorus lib. 3. *Dicunt etiam aquas quae ad Orientem, Auſtrumque prorum-*

prorumpunt, dulces, atque perſpicuas eſſe, & pro ſua leuitate ſaluberrimas inueniri. In Septemtrionem vero, atque occidentem quaecunque manant, probari quidem nimis frigidas: ſed craßitudine ſuae grauitatis incommodas. Phaſis quoque Euxino impermiſtus innat eadem de cauſa. Arrianus in Euxini Periplo, cum eius ὕδωρ κουφότατον vocaſſet, adijcit: Ὅτι ἐπιπλεῖ τῇ θαλάσσῃ, οὐχὶ ἐπιμίσγεται. At de Euxino, & Phaſide vberior ſequetur diſputatio.

Eadem ratio per lacus, & paludes fluuios, fonteſque fert: quia paluſtria quaeque, & lacuſtria grauiora: fluuiatiles aquae leuiores, & vſque leuiores meando, & agitatione euadunt, ſeu (quae Plinij oratio eſt) *curſu, percuſſuque ipſo.* Contra ſedentariae vndae limo ponderoſitate communicant, ideoque ſubſidunt. Ex eodem fonte prouenit, quod aqua grauior ſi fluit, tardius fluit. Docuit experientia in clepſydris hieme tardius, aeſtatis hora citius defluere. Notat Athenaeus loco ſupero. Eadem ex cauſa βαρυσαθμοτέρας iudicat deteriores τῷ πολὺ τὸ γεῶδες ἔχειν, & Pirenes Corinthiacae fontis aquam omnium Graeciae aquarum leuiſsimam libra inueniri: etſi hanc diiudicandi viam neque ſequatur Athaeneus, neque Plinius lib. 31. c. 3. Eſt enim leuioris aquae alia apud Hippocratem hedera, ſi ſtatim in-

caleſcat. Iuuerit & Plinius: *Certior ſubtilitas inter pares, meliorem eſſe, quae caleſiat, refrigereturque celerius.* Athen. l. 2. c. 7. Φησὶ δὲ καὶ ὁ Ἱπποκράτης ὕδωρ τὸ ταχέως θερμαινόμενον, καὶ ψυχόμενον, ἀεὶ κουφότερον. *Aquam, quae celerius incaleſcat, celerius refrigeretur, ſemper eſſe leuiorem adſeuerat Hippocrates.* Item ſi e ſublimi labitur, & aridis iugis. Cum enim ſolum a feruenti coelo excoquitur, portio limoſior in auras difflatur, & inibi aquarum prouentus eſt magis defaecatarum, & leuiorum hac de cauſa. Quod ſi animaduertiſſet Caſaubonus λόφους ξηρούς, in γηρούς non tam praeceps mutaſſet in lib. 2. Athen. c. 7. *Pari de cauſa Cteſias tradit Siden vocari ſtagnum in Indis, in quo nihil innatet, omnia mergantur,* Plin. lib. 31. c. 2. An etiam pluma, & tipulae? Ibidem: *Certe Coelius apud nos in auerno ait etiam folia ſubſidere. Contra in Africae lacu Apuſcidano omnia fluitant: nihil mergitur: item in Siciliae fonte Phinthia, vt Appion tradit, & in Medorum lacu, puteoque Saturni.*

Titareſium ſupernare ob leuitatem opinabatur Euſtathius in Catalogum: Τὸ δὲ ἐπιπολαστικὸν τοῦ Τιταρησίου γίνεται μὲν ἢ διὰ κουφότητα ὕδατος, ὅπερ συμβαίνει καὶ τοῖς εἰς θάλασσαν ἐκβάλλουσι ποταμοῖς. *Titareſij vis illa ſupernandi, aut ab aquae leuitate eſt, quod & alijs in mare prorumpentibus fluuijs accidit.* Subiectarum, & tranſitarum

tarum aquarum ſalſugo cauſa quarta dici poſſet: niſi grauitatis ipſa potius index, quam auctor eſſet, ſicut dulcitudo leuitatis. Macrobius lib. 7. c. 12. de Ponto: *Nam non marina aqua contrahitur: ſed quia plurimum in illis regionibus fluuiorum eſt, & paludum in ipſa maria influentium, ſuperficies maris, cui dulces aquae innatant, congelaſcit, & incolumi aqua marina, videtur in mari gelu; ſed de aduenis vndis coactum*. Poſt pauca: *Licet frigore concretae, tamen ſunt natantes, quaſi laeuigatiores marina.* Ergo antequam concreſcerent, etiam erant aquae iſtae dulces Ponto innantes. Claudat caput hoc Plinius lib. 2. c. 103. *Quaedam vero & dulces inter ſe ſupermeant alias. Vt in Fucino lacu inuectus amnis, in Lario Addua, in Verbano Ticinus, in Benaco Mincius, in Seuino Ollius, in Lemano Rhodanus.*

Digitized by Google

CAP. VII.

Quarta cauſa, Rapiditas fluminum. Tigris eſt ſagitta. Padus non miſcetur mari. Silij Jtalici, & aliorum ἐποστρακισμός.

QVarto alia alijs innant flumina rapiditate miſturam occupante. Quieta facilius communicantur: agitata difficilius: & dum curſu rapido alterum fertur incitatius, ea quandoq. tanta eſt incitatio, ac velocitas, vt in ſubiectiorem aquam permeandi tempus, & occaſionẽ ſuperioris aquae rapiditas praeripiat. Hac ratione Tigris per ſummã Arethiſſam ita nat, vt ſuos ſecum piſces conuehat, lacuſtrium piſcium nihil indigus. Facit hoc praecipua rapiditas, a qua Tigri nomen. Curtius lib. 4. *A celeritate, qua defluit, Tigri nomen eſt inditum: quia Perſica lingua Tigrim ſagittam appellant.* Eadem Varro lib. 4. de LL. *E lingua Armenia: nam ibi & ſagitta, & quod vehementiſſimum flumen, dicitur Tigris.* Eadem Plinius, ac Euſtathius in Dionyſium. Nec

Nec aequum nomen huic toti tractui, ſi vera ſunt illa Plinij, quod reor lib. 6. c. 27. *Ipſius, quia tardior fluit, Diglitto: vnde concitatur, a celeritate Tigris incipit vocari.* Nulla partium, & appellationis inuecta diſtinctione.

Quod ſi piſces vnius vndae in alteram non tranſeant, indubitanter fluuium editiorem rapidiſſimum eſſe oportet, aut piſces inter ipſos, & inter vndas ipſas iniectam a natura diſcordiam maximam. *Certe Tigris, vt natus eſt, ita deſcendens vſque ad litora permeat*, inquit Mela lib. 3. c. 8. *Vt natus eſt*: non alienigenis aquis adulteratus. Idem lib. 2. c. 1. de Pado: *Tam cito proſilit, vt diſcuſsis fluctibus, diu qualem emiſit vndam agat, ſuumque etiam in mari alueum ſeruet: donec eum ex aduerſo litore Iſtriae eodem impetu fluens Iſter amnis excipiat.*

Neque miraculum tantum eſt aquam prae celeritudine alteri innare, nec immergi, cum celerrima motio oſtraca, & teſtulas ſuperiactas a deſcenſu vindicet. Laërtius lib. 7. in Zenone: Ὡς κυματοῦται τὸ ἐν τῇ δεξαμενῇ ὕδωρ κατὰ κύκλους ὑπὸ τοῦ ἐμβληθέντος λίθου. Graphice, ac ſpecioſe hoc Silius Italicus exprimit.

Sic

Sic vbi perrumpit ſtagnantem calculus vndam
Exiguos format per prima volumina gyros:
Mox tremulum vibrans motu gliſcente liquorem,
Multiplicat crebros ſinuati gurgitis orbes:
Donec poſtremo laxatis circulus oris
Contingat geminas patulo curuamine ripas.

Enucleate Seneca lib. 1. qq. Natur. c. 2. *Cum in piſcinam lapis miſſus eſt, videmus in multos orbes aquam diſcedere, & fieri primum anguſtiſſimum orbem, deinde latiorem, ac deinde alios maiores, donec euaneſcat impetus, & in planiciem immotarum aquarum ſoluatur.* Nec multo poſt adhibita cautione aquae pigrantis: *Lapillus in piſcinam, aut lacum, & aliquam alligatam aquam miſſus circulos facit innumerabiles: & hoc idem non facit in flumine.* Quare? quia omnem figuram fugiens aqua diſturbat. Quod ſi eſt, qui verax Etymologus? Scribit: Ἐποστρακίζειν παιδιά τις, ἣν παίζουσιν οἱ παῖδες, ὄστρακα ἀφιέντες εἰς τὴν θάλασσαν. *Epoſtracizin ludus quidam eſt, quem pueri ludunt, dum in mare teſtas abijciunt.* Aut θάλασσαν, ſeu Mare pro quauis aqua poſuit, aut Senecae pugnat. Ideo perattentus Silius *Stagnantem vndam* ante omnia poſuit. De ἐποστρακισμῷ hoc belle Pollux lib. 9. c. 7. & Tragoedus Hercule F. Ac niſi tali ἐποστρακισμῷ, & iactu Plinius adiuuetur, inſulſum

eius

eius effatum eſt lib. 2. cap. 103. *Sicut illa permira naturae opera, aes, & plumbum in maſſa mergi, dilatata fluitare.* Vidimus *dilatata* mergi: paulo ſerius licet: ſed dilatata de loco in locum ſalientia non prius ſubſidunt, quam quieuerint. Ea tamen opinio inueterauit. D. Auguſtinus ſerm. 47. *Ferrum, plumbum, aeſque omne, quod ſuo pondere mox mergitur, cum excauatum fuerit, ſupernatat.* Plus eſt *Excauari*, quam *Dilatari*. Neque tamen e ferro caſsidem, aut e ſtanno ſcutulam ſupernataturam reor. Forte ex metallo globus cauus. Verum idem D. Auguſt. ſer. 147. de Tempore: *Corpora ipſa grauiſſima, & tamen terrena, mox vt dimiſſa fuerint ſuper aquam continuo demerguntur, & ad ima profunda perueniunt, ſicut eſt ferrum, poſtremo ſicut & plumbum. Quid enim plumbo grauius? Accedit tamen manus artificis ad plumbum, & facit inde aliquod vas concauum, & natat plumbum ſuper aquas.* Sic pedum rapiditate Maroniana mitigatur hyperbole l. 7. de Camilla:

——— Curſuque pedum praeuertere ventos.
Illa vel intactae ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu laeſiſſet ariſtas:
Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret aequore plantas:

Paria ſunt apud Homerum Iliad. Φ. Αἱ δ' ὅτε μὲν σκιρτῷεν &c. apud Apollonium lib. 1. de Polyphemo. Finio cum Claudiano de III. Conſulatu Honorij:

> *Vobis Ionia virides Neptunus in alga*
> *Nutrit equos, qui ſumma freti per coerula poſsint*
> *Ferre viam, ſegetemq́ leui percurrere motu.*
> *Neſciat vt ſpumas, nec proterat vngula culmos.*

CAP. VIII.

De dulcitudine aquae marinae.

Maria multa dulcia. Atlanticum, Chelidoniae inſulae Aradus, Gaditanum, quod & in Pontum trameat, Caſpium, Hyrcanium, Maeotis palus, Pontus, Propontis. In Pontum ex Aſia, Europaq́ plurimi euadunt fluuij: praeſertim Tanais, ac Danubius. Contra Priſciani opinionem, & aliorum, Ponticum mare reapſe dulce eſt. Etiam e mari quouis hauſtus aquae dulcis licet.

REpetita ſuperioribus chartis dulcis, & ſalſae vndae mentione: ſi hoc loco, non de ſalſae cauſis, quas ſapientia rimatur, ſed de marinae dulce-

dulcedine nonnulla inſtituetur diſputatio non indecebit, ad quam Theophraſti περὶ θαλάσσης liber ſingularius magno fuiſſet auxilio, cum niſi fata nobis inuidiſſent, aut ſiquid aliud praeter libri nomen nobis Laërtius l. 5. reliquiſſet, quod alibi ſaepius commiſit. Sed hactenus vota. Euthymenes Maſſilienſis: *Nauigaui*, inquit, *Atlanticum mare... Caeterum dulcis maris ſapor eſt*. Quo dicto mendacium, & fabulas nobis diſcordantibus illi impingit Seneca l. 4 qq. Natur. c. 2. & aduorſum fertur: *Nunc vero tota exteri maris ora mercatorum nauibus ſtringitur: quorum nemo narrat nunc coeruleum Nilum, aut mare ſaporis alterius, quod & natura credi vetat: quia dulciſſimum quodque, & leuiſſimum ſol trahit*. Ain' vero? Mercatoribus naturae contemplandae cura poſtrema, aut nulla: quaeſtus prima: hinc illud ſilentium. Adiecta vero ratio, ſiquid valeret, eo quoq. valeret, vt omnes fluuij coelo aperti, fonteſque plurimi ſalſedinem inducrent: *quia dulciſſimum quodque, & leuiſſimum ſol trahit* ex ijs. Quod ſi non fit, quia perennis eorum fluxus eſt: maris valentior eſt fluxus, eſt refluxus: etſi non cuiuis mari hoc ingenium. Eadem ex ratione omnes lacus, ſtagna omnia, omnes aquae fixae, & immotae ſalſa ſint. Mirum etiam eſt mercatorum fidem a ſopho implorari, cum eam ſuſque, deque habeat Polybius l. 4. ſanctiore

 deli-

Digitized by Google

delinitus contemplatu: Οὐκ ἐκ τῶν ἐμπορικῶν ἰσχῦσαι διηγημάτων τὴν πίστιν· ἀλλ' ἐκ τῆς κατὰ φύσιν θεωρίας. Non ex mercatorum narrationibus fides comparanda eſt: ſed ex naturae contemplatione. Eandem nihilominus ſalſedinis rationē amplectitur Baſilius M. hom 3 Hexaëm. Ὅπερ ἐκ τῆς τοῦ ἡλίου μάλιστα γίνεται διακρίσεως· τὸ μὲν κοῦφον ἀπάγοντος, τὸ δὲ παχὺ, καὶ γεῶδες διόν τινα ὕλην, καὶ ὑποστάθμην ἐναφιέντος, ἐξ οὗ τὸ πικρὸν, καὶ ἁλμυρὸν, καὶ ξηραντικὸν τῇ θαλάσσῃ προσεῖναι. *Quod fit maxime ſole, quod leue eſt, ſecernente, & auehente: quod vero craſſum, ac terrulentum materiae inſtar, & ſedimenti dimittente, vnde amaror, & ſalſedo, & ſiccandi vis mari adeſt.* Idem tradit perbelle Plinius l. 2. c. 100. *Sic mari late patenti ſaporem incoqui ſalis, aut quia exhauſto inde dulci, tenuique, quod facillime trahat vis ignea, omne aſperius, craſſiuſq; linquatur.* Qui l. 31. c. 4. cauſas alias rimatur: *Quippe tales ſunt aquae, qualis terra, per quam fluunt, qualeſq; herbarum, quas lauant, ſucci.* Eadem ratio placuit & Vitruuio l. 8. c. 3. multis locis. Potuit & Euthymenes aeuo ſuo vera loqui, quae poſtmodum inuecta magna rerum mutatione Seneca falſa deprehenderit. Potuit hoc eſſe quidem: factum in ambiguo eſt. Plinius affatim dulces aquas nobis propinat, hauriamus. Lib. 2. c. 103. *Nam dulcis hauſtus in mari plurimis locis, vt ad Chelidonias inſulas, & Aradum, & in Gaditano*

ditano oceano. De Chelidonibus teſtis alter Antigonus cum Eudoxo c. 144. Ἡ δὲ κατὰ Χελιδόνας, ὅτι ἐπὶ πολὺν τόπον ἔχει γλυκέας πηγάς, *mare, quod eſt ad Chelidonas, multis locis fontes habere dulces*. Strabo lib. 3. Φησὶ δὲ ὁ Πολύβιος κρήνην ἐν τῷ Ἡρακλείῳ τῷ ἐν Γαδείραις εἶναι βαθμῶν ὀλίγων κατάβασιν ἔχουσαν εἰς τὸ ὕδωρ, πότιμον δὲ εἶναι. *Refert Polybius fontem propter Herculis templum, quod Gadibus eſt, vbi per pauculos gradus deſcenditur inuſque aquas potabiles*. Hunc fontem in animo habuiſſe videatur Lucretius lib. 6.

Quod genus endo mari ſpirat fons dulcis aquaï,
Qui ſcatit, & ſalſas circum ſe dimouet vndas.

Iterum Plin. l. 2. c. 97. *Gadibus qui eſt templo Herculis proximus fons incluſus ad putei modum*. Imo ex hoc Gaditano ſinu aquae perferuntur in Pontum. Macrobius lib. 7. c. 12. *Meatus enim, qui ſolus de oceano receptas aquas in maria noſtra tranſmittit, in freto eſt Gaditano, quod Hiſpaniam, Africamque interiacet. Et ſine dubio inundatio ipſa per Hiſpanienſe, & Gallicum litora in Tyrrhenum prodit. Inde Adriaticum mare facit: ex quo dextra in Parthenium, laeua in Ionium, & directum in Aegaeum pergit, atq. ita egreditur in Pontum*. Vnde ex India in Hyrcaniam nauigari poſſe cēſuit Patrocles alijs dubitātib. inquit l. 11. Strabo, qui

qui lib. 16. de aquis dulcib. in Arado idem teſtatur, quod Plinius, ac de Caſpio Curtius lib. 5. *Mare Caſpium dulcius caeteris.*

Sed amabo an Caſpium Hyrcano idem? Ibidem Curtius: *Quidam Caſpium, quidam Hyrcanum appellant.* Ecqui? Plinius l. 6. c. 13. *Caſpium, & Hyrcanum mare.* Ibidem explicatius: *Pluribus nominibus accolarum appellatum, celeberrimis duobus Caſpio, & Hyrcano. Non minus hoc eſſe, quam Pontum Euxinum Clitarchus putat.* Plutarchus in Alexandro de Ponto Ὑρκάνιον πέλαγος, καὶ Κάσπιον ὁμοῦ προσαγορευόμενον. Ptolemaeus l. 7. c. 5. Geograph. *Hyrcanum mare, quod & Caſpium dicitur.* Vt montes multi varia per ſecturas ſortiuntur nomina: ſic maria in partes tributa: ſic Hyrcanium, & Caſpium mare idem eſt, at non vnum recte rem penſitanti: committuntur enim perfoſſo canali, & ſic pro vno habentur. Diſertim, ac perattente Baſilius M. homilia 4 Hexaem. Εἰ καὶ τὴν Ὑρκανίαν διοντάί τινες, καὶ τὴν Κασπίαν περιγεγράφθαι καθ' ἑαυτάς· Ἀλλά γε, εἴ τι χρὴ ταῖς τῶν ἱστορησάντων προσέχειν γεωγραφίαις, συντέτρηνται πρὸς ἀλλήλας, καὶ πρὸς τὴν μεγίστην θάλασσαν ἅπασαι συνεστόμωνται. Interpres: *Quanquam & Hyrcanum, aſpiumque mare ſunt, qui ſeorſim circumſcripta ſuis eſſe finibus arbitrentur. Sed ſi ijs, qui in deſcribendis terris operam nauarunt, animum aduertere*

uertere oporteat, haec inter ſeſe per meatus ſuos commiſcentur, & omnia permeant ad mare maximum, atque confluunt. Idemne voluit Apuleius libro de Mundo? *Quae per anguſtas, longinquaſque fauces in Hyrcanium, & Caſpium flectuntur ſimul, vltraque profundae vaſtitatis eſſe maria creduntur.* Diſcreuit Ariſtoteles lib. de Mundo c. 3. Τὴν Υ'ρκανίαν τε, καὶ Κασπίαν ὁρίζων, *Hyrcanij, & Caſpij maris diſterminator.*

Vela damus, & quo venti ferunt, ſequimur. Laſſuli per maria potum quaeritamus, ac ne Tantali ſitim perferamus, Pontum intremus a Maeotide altero Ponti oſtio curſum auſpicati. De ea Ouidius lib. 4. de Ponto Elegia 10.

Quinetiam ſtagno ſimilis, pigraeque paludi
Coeruleus vix eſt, diluiturque color.

Quare de Maeotide capio iſta Medeae apud Tragoedum:

Pontuſque quidquid Scythicus a tergo videt,
Paluſtribus qua maria dulceſcunt aquis.

Ante Pontum Propontis eſt: vnde nomen: *a tergo* Maeotis: haec enim gemina Ponti ſunt oſtia. Polyb. lib 4. generatim flumina in Maeotidem labentia congerit, & nominatim per Maeotidem in Pontum tranſuecta Ouidius loco infero, ac Baſilius M. hom.

hom. 3. in Hexaëm. Polybius: Πολλῶν μὲν, καὶ μεγάλων ποταμῶν ἐκ τῆς Ἀσίας ἐκβαλλόντων, ἔτι δὲ μειζόνων, καὶ πλειόνων ἐκ τῆς Εὐρώπης, συμβαίνει τὴν μὲν Μαιῶτιν ἀναπληρουμένην ὑπὸ τούτων ῥεῖν εἰς τὸν Πόντον ἐκ τοῦ στόματος. *Cum multi, ingenteſque fluuij ex Aſia aquas eiaculentur, plureſque, ac ingentiores ex Europa, accidit Maeotidem, dum ab his repletur in Pontum per oſtium labi.* Oſtium hoc Cimmericus Boſporus vocitatur. Idem Polybius: Οὖσα γ' ἐξ ἀρχῆς θάλαττα σύῤῥους τῷ Πόντῳ, καθὰ οἱ παλαιοὶ συμφωνοῦσι, νῦν ἐστι λίμνη γλυκεῖα. *Cum eſſet olim Maeotis mare, communiterque cum Ponto flueret, quae veterum omnium concors eſt adſertio, nunc eſt palus dulcis.* Cuius dulcitudinis cauſas duas affert. Primam, Exprimi marinas aquas ex Maeotide a molibus congeſtis. Hanc primam rationem minus concoquo. Cum enim marrinae aquae ex terrea materia ſint ſalſiores, fit vt ſubſidant potius, quam in altum nitantur: & contra, vt ſiquid dulce, illud ſit & tenue & leuius, faciliuſque molibus congeſtis in altum ſe erumpat, efferatque. Melior ſecunda. Siquid ſalſi laticis reliquum fuerit a fluuijs inuadentibus, ac praedominantib. vinci. Denique Polybius hoc loco multis ſapienter ex Ponti ingenio, & aquis in eum confluentibus, diſputatis, vaticinatur aliquando fore, vt Pontuſmet paludis naturam,

ram, ac nomen induat. Nos hoc ex illo poſtremū ponamus: ὅσῳ γὰρ ἐστὶ νῦν ἡ Μαιῶτις γλυκυτέρα τῆς Ποντικῆς θαλάττης, οὕτω θεωρεῖται διαφέρουσα προφανῶς ἡ Ποντικὴ τῆς καθ' ἡμᾶς. *Quanto enim mari Pontico dulcior eſt Maeotis: tanto mare noſtrum euidenter dulcore a Pontico ſuperatur.* Sparſum igitur aliquid toto Ponto, quo ipſius miteſcant aquae. Plutarchus in Alexandro M. refert in Hyrcania ſinum quendam maris aequantem Pontum obiectum Alexandri oculis γλυκύτερον τῆς ἄλλης θαλάσσης, μάλιστα δὲ εἴκασε τῆς Μαιώτιδος λίμνης ἀνακοπὴν εἶναι, *caetero mari dulciorem, maxime vero partem a Maeotide palude abſciſſam coniectabat.* Curtius lib. 5. *Alij ſunt qui Maeotida paludem in id cadere putant, & in argumentum afferunt aquam, quae dulcior ſit, quam caetera maria, infuſo paludis humore miteſcere.* Salluſtij caeſa ruta ſic habent: *Mare* Ponticum *dulcius, quam caetera. Caetera* igitur maria dulcia? Audi Priſcianum lib. 3. *Eſt quando ad contraria comparatur, & minus poſitiuo ſignificat, vt* Mare Ponticum dulcius, quam caetera. *Hic enim non ad dulcia, ſed ad amara facta comparatione, oſtendit parum aliquid dulcedinis, quam caetera habere* Ponticum *mare. Parum aliquid?* Imo impenſe multum: quamuis plus Maeotis habeat: quamuis Euſtathio ita quoque

Y ſederit

ſederit in Odyſſ. 5. Ψυχρὰ γὰρ φασὶν ἡ θάλαττα, καὶ ἧττον ἁλμυρά. *Frigidum enim, vt fertur, mare hoc, & ſalſum minus.* Ariſtoteles vere, ac reapſe dulce mare Ponticum retur, & cauſam e poſitis ſecundam deſignat lib. 8 de Animalibus c. 25. Σημεῖον δὲ καὶ τὸ τοὺς πλείστους τῶν ἰχθύων εἰς τὸν Πόντον ἐκτοπίζειν θεριοῦντας διὰ γὰρ τὸ πλῆθος τῶν ποταμῶν γλυκύτερον τὸ ὕδωρ. *Ex eo quoque patet, quod piſces in Pontum tranſmittunt aeſtiuaturi: vbi propter fluuiorum frequentiam dulcior aqua fit:* Idem c. 16. piſces varios hoc mare potiſſimum vere conſectari notauerat: vere enim calor redit: Η' γὰρ νομὴ καὶ πλείων, καὶ βελτίων διὰ τὸ πότιμον. Tum quia in Ponto belluarum minus, tutiores in eo agunt. Praecipue vero Thermodontis oram petunt, tum ijs de cauſis, tum ob teporem. Ariſtot. lib. 6. de animal. c. 12. Διὸ καὶ ἐν τῷ Πόντῳ περὶ τὸν Θερμώδοντα ποταμὸν οἱ πλεῖστοι τίκτουσι· νήνεμος γὰρ ὁ τόπος, καὶ ἀλεεινὸς, ὁ ἔχων ὕδατα γλυκέα. *Quae cauſa eſt, vt ad Thermodontem fluuium plurimi pariant. Tranquillus enim locus eſt, tepiduſque, & vberior aqua dulci.* Vbi nota τὸ Ἀλεεινός reſpondere *Thermodontis* appellationi. Mutis quoque piſcibus vocem hanc dat Baſilius M. tom. 3. Orat. de Prouidentia: Βαδίσωμεν ἐπὶ τὸ Βόρειον πέλαγος. *Eamus ad Aquilonium mare.* Nutrimenti, & generis propagandi cauſa. Ratio:

tio : Γλυκύτερον γὰρ τῆς λοιπῆς θαλάσσης τὸ ὕδωρ ἐκεῖνο. *Dulcior enim eſt, quam caeterum mare aqua illa Borealis, ſeu Pontica.* Boreali namque mari *Ponticum* intelligi voluit, & docuit nos *Ponti* non nouus accola Ouidius:

> *Hinc* [ex plaga Pontica] *oritur Boreas, oraeq. domeſticus huic eſt,*
> *Et ſumit vires a propiore loco.*

Item *Plutarchus* in Alexandro M. Ad Ariſtotelis rationem accedunt illa Baſilij M. hom. 3. in Hexaëm. Μύριοι ἕτεροι ἀπὸ τῶν ἀρκτώων τόπων ἐπὶ τὸν Εὔξεινον πόντον φέρονται: *Plurimi alij amnes ab Arcto in Euxinum feruntur.* Iuſtinus lib. 2. *Porro Scythiam adeo editiorem omnibus terris eſſe, vt cuncta flumina ibi nata in Maeotim, tum deinde in Ponticum, & Aegyptium mare decurrant.* Arrianus de his: Οἱ ποταμοὶ οὔτε πλῆθος, οὔτε μέγεθος ἀριθμητοί: *Fluuij multitudine, atque magnitudine immenſi.* Nominatim fluuios in *Pontum* confluentes dinumerabat Ouidius:

> *Adde quod hic clauſo miſcentur flumina Ponto,*
> *Vimque fretum multo perdit ab amne ſuam.*
> *Huc Lycus, huc Sagaris, Peneuſque, Hypaniſque, Crateſque.*
> *Influit, & crebro vortice tortus Halys.*

 Par-

Partheniuſque rapax, & voluens ſaxa Cynapes
Labitur, & nullo tardior amne Tyras.
Et tu foemineae Thermodon cognite turmae,
Et quondam Graijs Phaſi petite viris.
Cumq; Boryſthenio liquidiſsimus amne Dyraſpes,
Et tacite peragens lene Melanthus iter.
Quiq; duas terras Aſiam, Cadmiq; ſororem
Separat, & curſus inter vtramq; facit.
Innumeriq; alij, quos inter maximus omnes
Cedere Danubius ſe tibi Nile negat.
Copia tot laticum, quas auget, adulterat vndas:
Nec patitur vires aequor habere ſuas.

Strabo l 7. Ποταμῶν γοῦν περὶ τετταράκοντα ῥεόντων εἰς τὸν Πόντον. *Cum fluuij circiter quadraginta numero in Pontum influant.* Verum Ouidium reprehendamus in manum, eique lucis aliquid affundamus.

Huc Lycus] *Lycum* ex Armenia in Pontum deriuat Strabo. Eum ad Heracleam Ponti locat Theophraſtus libello de Piſcibus, Plinius lib 9. c. 57. quem vide, item lib. 6. c. 26. Apollonius Rhodius lib. 4. Argonaut.

——— Παρὰ προχοῇσι Λύκοιο,
Ὅστ' ἀποκιδνάμενος ποταμοῦ κελάδοντος Ἀράξεω
Φάσιδι συμφέρεται ἱερὸν ῥόον· οἱ δὲ συνάμφω
Καυκασίην ἅλαδε εἰς ἓν ἐλαυνόμενοι προχέουσιν.

Iuxta

——— Iuxta oſtia Lyci
qui ortus a fluuio reſonantis Araxis
Phaſidi miſcet ſacram vndam, ipſique vna ambo
Caucaſeum mare in vnum acti effunduntur.

Huc Sagaris] Homero hic, alijſque *Sangarius.* Orpheus in Argon.

Σαγγάριος δ', ὃς κύματ' ἐπιτρέχει Εὐξείνοιο.
Sangarius, qui vndas incurrit Euxini.

Alibi idem Orpheus literarum ſedes videtur tranſpoſuiſſe:

Φᾶσις τ' εὐρυμένης, ἀγαλαῤῥείτης τε Σαράγγης.
Phaſis late-potens, leniterque fluens Saranges.

Niſi ſcribi placet Σαγάγγης pro *Sagaris*, aut *Sagarius.* Nominat & *Sangariū* Apollon. l. 2 Liuius l 38 de Sangario: *In Propontidem ſe effundit, non tam magnitudine memorabilis, quam quod piſcium accolis ingentem vim praebet.*

Hypaniſque] Maro Georgicon 4.
——— Saxoſumque ſonans Hypanis ———

Verum cum hic ab ortu ſuo dulcis fluat, poſt miſtura alienigenae aquae amareſcat, quaeſtio eſt, *Hypaniſne* influxu dulceſcat Pontus? Ouidij correctior editio Metamorphoſi 15.

Quid non & Scythicis Hypanis de montibus ortus,
Qui fuerat dulcis, ſalibus vitiatur amaris?

Y 3 Ponti

Ponti Euxini aquas ab *Hypani* vtcunque dulceſcere palam videtur eſſe ex Vitruuio: nam fonticulus, quo tandem amarior fit *Hypanis*, ab oſtio Ponti ſeductior eſt centum ſexaginta millibus. Vitruuius lib. 8. c. 3. *In Ponto eſt flumen Hypanis, qui a capite profluit circiter millia quadraginta* [caput ei in Scythicis montibus, ante ex Ouidio] *ſapore dulciſsimo: deinde cum peruenit ad locum, qui eſt ab oſtio ad millia centum ſexaginta, admiſcetur ei fonticulus opido quam paruulus. Is cum in eum influit: tunc tantam magnitudinem fluminis facit amaram. Ideo quod per id genus terrae, & venas, vnde ſandaracha foditur, ea aqua manando perficitur amara.*

Crebro vortice tortus Halys] *Halyn* in Pontum influere perhibet Strabo lib. 12. ruentem per Syros, & Paphlagonas. Item Herodotus.

Partheniuſq́; rapax] *Mitiſsimum* tamen vocat Apollonius lib. 2.

> Καὶ δὴ Παρθενίοιο ῥοὰς ἁλιμυρήεντος
> Πρηΰτάτου ποταμοῦ παρεμέτρεον ———
>
> *Ideo Parthenij fluenta in mare ruentis*
> *mitiſsimi fluuij permetiebantur.*

An *Parthenius* exaggerandis exſilij malis Ouidio dictus

dictus eſt *Rapax*? Eum per *Paphlagoniam* ad *Pontum* adducit Strabo lib. 12. Vide, quae notauimus ad illud Cointi Calabri lib. 6.

Παρθενίου, ὅςτ' εἶσι διὰ χθονὸς, ἠΰτ' ἔλαιον.

Nullo tardior amne Tyras] Latiari ſchemate *Tyras*: Ionico apud Herodotum lib. 4. Τύρης, *Tyres*. Apud Heſychium per I: Τύρις, ποταμὸς ἐκδιδοὺς εἰς τὸν Βορυσθένη: *Tyris fluuius in Boryſthenem ſe euoluens.*

Et tu foemineae Thermodon] Philoſtratus in Achille: Τὸν Θερμώδοντα, καὶ τὸν Βορυσθένην, καὶ τὸν Ἴστρον, οἳ ἀμηχάνοις τε, καὶ ἀενάοις ῥεύμασιν ἐς τὸν Πόντον ἐκφέρονται: *Thermodontem, & Boryſthenem, & Iſtrum, qui impotentibus, perpetuiſque fluxibus in Pontum deferuntur.* Appollon. lib. 2.

Τῷ δ' οὔτις ποταμῶν ἐναλίγκιος· οὐδὲ ῥέεθρα
Τόσσ' ἐπὶ γαῖαν ἵησι παρὲξ ἕθεν ἄνδιχα βάλλων.

Huic nullus ſimilis fluuiorum: neque fluenta
tot in terram mittit a ſe ſeparatim traijciens.

Phaſi petite viris]. Dionyſio Periegetae *Phaſis*.

Εὐξείνου πολὺ χεῦμα θοὴν ἐπερεύγεται ἄχνην.

Verſus Euxini Pōti fluenta celerem euomit algam.

Etymologus in Ἀμάραντος: Ὄρη τῆς Κολχίδος, ἐξ ὧν καταφέρεται ὁ Φᾶσις ποταμός: *Montes Colchidis, e quibus Phaſis fluuius*

fluuius deſertur. Ex quo Etymologo emendes illa Vibij Sequeſtri de Phaſide: Qui de monte Garamante fluit. Rectius: *De monte Amaranto.* Olim dicebatur *Arcturus*, Plutarchus lib. de Fluminibus. S. Ambroſ. lib. 2. cap. 3. Hexaëm. *De Septemtrionali parte Phaſis Caucaſeis montib. fuſus cum pluribus alijs in Euxinum ſe praecipitans mare.* Apollonius lib. 2. Φᾶσις δινήεις εὐρὺν ῥόον εἰς ἅλα βάλλει, *Phaſis vorticoſus latum fluxum in mare iacit.*

Boryſthenio amne] Hunc ampliter dilaudat Herodotus ſupra: Τῶν δὲ λοιπῶν Βορυσθένης ἐστὶ πολυαρκέστατος, ὃς νομάς τε καλλίστας, καὶ εὐνομιδεστάτας κτήνεσι παρέχεται, ἰχθύας τε ἀρίστους διακριδὸν, καὶ πλείστους· πίνεσθαί τε ἥδιστός ἐστι. *Reliquos inter eſt Boryſthenes abundantiſſimus, qui pulcerrima paſcua, & iumentis accomodatiſsima praebet, piſceſque optimos, lectiſsimos, plurimos.* Caetera inibi. Dionyſius:

> Ἧχι Βορυσθενέος ποταμοῦ τετανυσμένον ὕδωρ
> Μίσγεται Εὐξείνῳ ———

vbi Boryſthenis fluuij aqua porrecta miſcetur Euxino. Pluria Plinius lib. 4 c. 13. 14. Ex *Boryſthenio amne* Ponto ſingularis dulcitudo conciliatur, cuius aquae praeſtantiam ante expendimus.

Quique duas terras Aſiam, Cadmique ſororem Separat] Ecquis fluuiorum hicce eſt? *Danubius? Iſter?*

Iſter? De Ouidij mente *Tanais*: nam *Danubium* mox confluentibus in Pontum fluminibus adnumerat, atque ab eo ſeparat, qui Europam, *Aſiamque* ſeparat. Ὁμοφρονεῖ Plinius lib. 4. c. 12. *Inde lacus eſt Maeotis Tanaim amnem ex Riphaeis montibus defluentem accipiens nouiſſimum, inter Europam, Aſiamque finem.* Dionyſius:

> Συρόμενος Τάναϊς Μαιώτιδος ἐς μύχα πίπτει,
> Ὅς τε καὶ Εὐρώπην ἀποτέμνεται Ἀσίδος αἴης

Vibius Sequeſter: *Tanaïs Scythiae Aſiam ab Europa diuidit.* Gallus:

> *Vno tellures diuidit amne duas.*

Hoc eſt, *Aſiam ab Europa ſeparat*, interprete Vibio. Auienus de Tanaï:

> *Hic Aſia Europam diſterminat* ———

Apuleius de Mundo: *Quidam ab exordio Tanais vſque ad ora Nili Aſiae terminos metiantur.* Ammianus lib. 22. *Tanais inter Caucaſias oriens rupes, per fumoſos labitur circumflexus, Aſiamque diſterminans ab Europa ſtagnis Maeoticis deliteſcit.* Idem Solinus c. 26. indicabat: *Quae Propontis Europam, Aſiamque diſcrimans ad Maeotida peruenit.* Curtius lib. 7. *Tanais Aſiam, & Europam finis interfluit.* Affirmate ſolum Iſtrum immenſam terram diſſecare ſcribit Apollonius Rhodius lib. 2.

Digitized by Google

Ἴστρον μὲν καλέοντες ἑκὰς διετεκμήραντο,
Ὅς δὴ τοι τοίως μὲν ἀπείρονα τέμνετ' ἄρουραν
Εἷς οἶος· πηγαὶ γὰρ ὑπὲρ πνοιῆς Βορέαο
Ῥιπαίοις ἐν ὄρεσιν ἀπόπροθι μορμύρουσι.

Iſtrum ipſum vocitantes pridem determinarunt, qui tibi tantiſper immenſam ſecat terram vnus ſolus: fontes enim vltra flatum Boreae Riphaeis in montibus e longinquo murmurant. De *Iſtro* iam dicimus. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 13. c. 12. *Qui ex Ripheis ſiluis veniens dirimit Europam ab Aſia inter duas mundi partes medius currens, atque in Pontum fluens.* Has Ouidio ſuppetias tulimus: aliorum mentes intremus.

Cedere Danubius ſe tibi Nile negat] Idem ſolicite notat 3. Triſtium:

Ipſe papyrifero qui non anguſtior amne,
Miſcetur vaſto multa per ora freto.

Danubius idem *Iſtro*. Ipſus Elegia 1. de Ponto Ouidius lib. 1.

Stat vetus vrbs ripis vicina binominis Iſtri.

Binominis Iſter Silio quoque Italico dicitur lib. 1. Iſidorus vbi ſupra: *Danubius* Germaniae fluuius... Idem & *Iſter*. S. Ambroſius l. 2. Hexaëm c 3. *Danubius de occidentalibus partibus barbarorum, atque Romanos interſecans populos, donec Ponto ipſe condatur.*

Digitized by Google

tur. Ex Ambroſio ſua delibauit Iſidorus addito: *Septem oſtijs in Pontum influit. Septem* eius *oſtia* ſcribit & Mela l. 2. c. 4. Priſcianus:

——— *Iſtri flumine longo*

Qui poſcens ortus Euxini peruenit vndas.

E quibus *Iſtri*, ſiue *Danubij* magnitudinem agnoſcas, ſicut ex illo Gellij lib. 10. c. 9. *Nilo proxima magnitudine eſſe Iſtrum* Salluſtius ſcripſit. Plura de eo Herodotus l. 4. qui in eum plures corriuat fluuios, quorum numerum ſexagenario finit Iſidorus: Neque praetereundus Ariſtides tom. 1. Oratione de Aegeo mari: Πρὸς δὲ μεσημβρίαν τὴν λοιπὴν θάλασσαν διαιρῶν μὲν τὴν Ἀσίαν ἀπὸ τῆς Εὐρώπης: *Ad meridiem reliquo mari facto, Aſiam ab Europa diuidit*. Neque Seneca, cuius illa ſunt lib. 6. qq. Natur. c. 7. *Danubius, ac Renus: alter Sarmaticos impetus cohibens, & Europam, Aſiamque diſterminans: alter Germanos auidam belli gentem repellens*. Cum igitur palam ſit *Iſtrum Danubio* eundem eſſe: quaeri poteſt an his nominibus ſimul *Tanais* idem ſit, quod non conceſſerint Ouidius, & Silius, quibus *Iſtrus Binominis* eſt, non *Trinominis*. Aliam in partem ducunt nos, qui *Iſtrum Aſiae*, Europaeque definitorem volunt. Eodem procedere videri poſſunt qui *Iſtrum* & *Tanaim* ex Riphaeis montibus oriri exiſtimarunt. De *Tanai*

ex ijs orto teſtimonium dixit ante Plinius: *Iſtrum* ex ijſdem *Riphaeis* deriuat Apollonius, atque alij, ſi repetantur, auctorum loci.

Tot denique, tantiſque confluentibus in Pontum fluminibus, Ponti aqua ſalſitatis vires amittit: cumque Danubius ſit eos *inter maximus omnes*, & ſit Danubius Nili magnitudini cedere neſcius, ab eo potiſſimum Pontus dulceſcit. Vnde Mela: *Hac re per ea loca nauigantibus qua vtrimque amnes eunt* [Padus, & *Iſter*] *inter marinas aquas dulcium hauſtus eſt*. Plinius lib. 6. c. 17. *Hauſtum ipſius maris dulcem eſſe & Alexander M. prodidit, & M. Varro talem perlatum Pompeio iuxta rem gerenti Mithridatico bello, magnitudiue haut dubie influentium amnium victo ſale.* Similiter Ioſephus a Coſta lib. 3. Rerum Naturalium apud Indos c. 16. tribuit lacui maximo Mexicano duum generum aquam, ſalſam marinae non abſimilem, & dulcem fluuiali parem: aitque dulcorem ingigni ex confluuijs riuis in eum lacum conſilientibus. Animi cauſa,

Adde quod hic clauſo miſcentur flumina Ponto: cui affinis eſt Polybij συγκλειόμενος ὁ ῥοῦς βίᾳ προσωθεῖσθαι. Tandem ex patefactis hactenus cauſis Strabo lib. 1. ſic determinat: Διὸ καὶ γλυκυτάτην εἶναι τὴν Ποντικὴν θάλασσαν. *Quamobrem etiam dulciſſimum eſſe Ponticum mare:*

non

non minus ſalſum, quod exponunt apud Salluſtium, qui tamen *mare Ponticum dulcius* ἁπλῶς dixit, quam caetera, quibus dulcedinis aliquid ineſt, quod ſicui mirum videtur, magis profecto *mirum in lacu Aſcanio*, *& quibuſdam circa Chalcida fontibus ſummas aquas dulces eſſe, potarique; inferiores nitroſas* Plinio lib. 31. c. 10. At hoc ipſum in Euxini Periplo de Ponto tradit Arrianus: Εἰ δέ τις εἰς βάθος χαθῆκον τὴν κάλπιν, ἁλμυρὰν ἀρύεται: *Siquis in fundum vrnam demiſerit, ſalſam haurit*. Idem tradidere Strabo, Plinius. Qui Arrianus non partem Ponti aliquam dumtaxat dulcem, ſed vniuerſum Pontum. Ibidem: Ὁ πᾶς Πόντος πολύτι γλυκύτερον τοῦ ὕδατός ἐστιν, ἤπερ ἡ ἔξω θαλαττα.

Tertiam cauſam dulceſcentis aquae *P*onticae prodit Baſilius M. & ex parte Senecae rationi reſpondet: Διότι ἐπ' ὀλίγον αὐτῇ προδιατρίβων ὁ ἥλιος οὐκ ἐξάγει αὐτῆς ὅλον διὰ τῆς ἀκτῖνος τὸ πότιμον. *Quia non diu ſole ſupra Pontum morante ad educendum, quod potabile eſt, eius radij minus habent virium*. De qua tertia ratione, vt de prima, idem eſto iudicium.

Ergone referent Priſcianus, Euſtathius, alij, *Caetera maria dulcia*? Non proſus *Caetera*, non Omnia: ſed quae *Dulcia*: inter alia, *Gaditanum*, *Atlanticum*, quod proxime *Chelidonias* alluit, *Caſpium*,

Digitized by Google

Hyrcanium dulcia ex parte ſunt: dulcius *Ponticum*, dulciſſimum *Maeoticum*. Addo Ponticũ mare reapſe dulce: caetera dulcia in potentia, vti hodie loquuntur Academici. Quia diſſeparatis portiunculis ſalſis educi poſſunt dulces aquae de mari. Modum expertum edit Ariſtoteles lib. de Animal. c. 3. Ἐὰν γάρ τις κήρινον πλάσας λεπτὸν ἀγγεῖον, καὶ περιδήσας, καθῇ εἰς τὴν θάλασσαν κενὸν ἐν νυκτὶ, καὶ ἡμέρᾳ λαμβάνει ὕδατος πλῆθος, καὶ τοῦτο φαίνεται πότιμον. Interpres: *Tenui enim e cera vas ſiquis fingat, & obligatum demittat in mare vacuum per noctem, & diem excipit aquam ſatis multam, quae ſine controuerſia ad potandum eſt vtilis.* Hanc Ariſtotelis doctrinam & laudat Plinius, & modum alium, quo marina dulceſcit, expandit lib. 31. c. 6. *Expanſa circa nauim vellera madeſcunt excepto halitu maris, quibus humor dulcis exprimitur. Item demiſsis reticulis in mare concauae e cera pilae, vel vaſa inania obturata dulcem intra ſe colligunt humorem. Nam in terra marina aqua argilla percolata dulceſcit.* Suppparia promit alter Plinius l. 2. Epiſtol. 17. de Laurentino. Percolatam dulceſcere notiſſima res. Praecinuit Lucanus in 10.

Aequoreoſque ſales longo miteſcere tractu.

Adde his illa Caſſiodori lib. 3. de ſignis aquae dulcis terris occultatae: Terris enim, quibus dulcis humor

non

non longe ſubeſt vbertas quorundam germinum ſemper arridet, vt eſt iuncus aquatilis, canna leuis, rubus validus, ſalix lenta, populus virens, & reliqua arborum genera, quae tamen vltra naturam ſuam felici proceritate luxuriant. Alterum ſignum: Sunt & alia huius artis indicia, cum nocte adueniente lana ſicca in terram ponitur iam prouiſam, & rudi caccabo tecta relinquitur: tunc ſi aquae proximitas arriſerit: mane humida reperitur. Tertium ſignum, quo aquileges vtuntur: Sole autem declarato intuentur etiam magiſtri loca ſoliciti, & vbi ſupra terram minutiſſimarum volitare ſpiſſitudinem conſpexerint omnino muſcarum: tunc promittunt laeti facile, quod quaeritur, inueniri. Quartum: Addunt etiam in columnae ſpeciem conſpici quendam tenuiſſimum fumum, qui quanta fuerit altitudine porrectus ad ſummum, tanto in inium latices latere cognoſcunt.

Denique marina vnda decoctione miteſcit. Baſilius M. homil. 4 Hexaëm. Αὐτὸ ἐστιν ἰδεῖν τὸ τῆς θαλάσσης ὕδωρ παρὰ τῶν ναυτιλλομένων ἑψόμενον, οἳ τοὺς ἀτμοὺς σπόγγοις ὑποδεχόμενοι τὴν χρείαν μετρίως ἐν ταῖς ἀνάγκαις παραμυθοῦνται: *Ipſam maris aquam videre eſt a nauigantibus decoqui, qui ſpongia vaporem excipientes neceſſarium vſum hac ratione ſolantur*, & ſupplent. Cauſam catholicam profert Plutar. in cauſis Phyſicis: Γεῶδες γὰρ, καὶ παχυμερές ἐστιν:

Terru-

Terrulentum namque eſt, exque craſsiuſculis particulis, quod ſecernitur tunc, inque mari reſtat.

Tertiam ſuperſtruit eorum experientiam, qui perfoſſo litore potabiles hauriunt aquas, ſeu dulces. Conciliat hanc aquae dulcitudinem percolatio nonnulla. Aquas eiuſmodi Plinius alter laudat in Laurentino l. 2. epiſt. 17. & earum admiratione rapitur: *Haec vtilitas, haec amoenitas deficitur aqua ſalienti: ſed puteos, ac potius fontes habet: ſunt enim in ſummo. Et omnino litoris illius mira natura. Quocumque loco moueris humum, obuius, & paratus humor occurrit, iſque ſincerus, ac ne leuiter quidem tanta maris vicinia ſalſus.* Maris litora minus habere ſalſedinis prodit Ariſtoteles: quia aqua ſalſa tanquam grauior in gurgites, & ima ponti a litoribus defluit. Hirtius quoque lib. 4. de Bello Alexandrino: *Omnia enim litora naturaliter aquae dulcis habere venas.* An & de litoribus Indici maris capiendus Antigonus c. 147 qui ex Megaſthene tradit κατὰ τὴν Ἰνδικὴν θάλατταν δένδρεα φύεσθαι, *Ad mare Indicum arbores naſci.*

Atque vt his modis dulceſcendi, & rationibus ſuum non denegetur momentum, non eapropter omnis marina ſtatim cenſenda dulcis: nam quod poteſtate tale eſt, non illico reapſe.

CAP.

CAP. IX.

Piſces foſſiles non inueniri tradunt Mela, Iuuenalis: Liuius, & Iul. Scaliger inſinuant: Aliter ſentiunt Empedocles, Ariſtoteles, Theopraſtus, Strabo, Athenaeus, Polybius, Plinius, Seneca, Goropius, Mokius.

MVlta ſatis iam pro libelli modo de Terris natantibus, mouentibuſque, & earum indole, deque cauſis: multa de fluuijs alios tranantibus, aut ſubinde trauiantibus. Atque haec in ambitu naturae miraculo vicina. Subiecimus Epinomides iucundas, varias, miras, quibus tandem attextum imus quaeſtiunculam de Piſce foſſili; ſi poteſt: quib. in oris? quibus auctoribus? An alimentum ſalubre? Poſſe quis credat? vbi id fictum in fabulis, aut quibus pictum in tabulis? Ecce tibi Theophr. l. 1. de Cauſis Plant. c. vltimo reiectat Empedoclem, cui viſum naturā in ſicco generaſſe, quae poſt in aquam trāſtulerit, ſcilicet piſces.

Ἐπεὶ καὶ Ἐμπεδοκλῆς πρὸς τοῖς ἄλλοις, καὶ τοῦτο ἄτοπον, ὅπερ, καὶ ἐν ἑτέροις εἴρηται, τὸ γεννήσασαν τῷ ξηρῷ τὴν φύσιν, μεταίρειν εἰς τὸ ὑγρόν· πῶς γὰρ ἂν διέμεινε, καὶ πῶς διόντε, καὶ διαμένειν ὁντιναοῦν χρόνον, εἴπερ ἦ ὅμοια τοῖς νῦν; Interpres: *Vnde Empedocles inepte illud quoque adſeruit, naturam ad locum humoris tranſtuliſſe, quae in arido generauit.* Quo enim pacto animantes aquarum incolae, vel quantumlibet temporis perſiſtere in arido potuiſſent: ſi modo his noſtri temporis ſimiles fuerint? Vbi paucis Scaliger: *Illuſiſſe naturae Empedoclem ſententia ſua: qua profeſſus eſt illam in ſicco creaſſe piſces, atque in humorem tranſtuliſſe.* Scaliger: *Negat vllum temporis momentum pati potuiſſe piſcium vitam.* At enimuero non ita eſt. Non enim ſtatim in ſicco ſpirant piſces. An *Exſpirant?* Pomponius M. valide negat lib. 2. c. 5. vbi actum de campo a Salſulae fonte non vſque diſſito, confert haec: *Vnde Graijs, noſtriſq; etiam auctoribus veri ne ignorantia, aut prudentibus etiam mendacij libidine, viſum eſt tradere poſteris in ea regione piſcem e terra penitus erui, qui vbi ex alto huc uſque penetrauit per ea foramina ictu captantium interfectus extrahitur.* Et Liuio portentum eſt lib. 42. in Gallico agro, qua induceretur aratrum, ſub exſiſtentibus glebis piſces emerſiſſe. Quam hiſtoriam Iuuenali obuerſatum reor ſcribenti, quod minus

minus probat, Satyra 13. ——— *Bimembri*

Hoc monſtrum puero, & miranti iam ſub aratro
Piſcibus inuentis, & foetae comparo mulae.

Vbi retortos in fontem amnes, aliaque pro aeque incredibilibus habet. Adeo ſeuero IulI Scaligeri ſupercilio res haec repudiatur, vt Exercitatione 218. contra Cardanum ſcripſerit: *Sed & foſsiles e terra piſces ab auctoribus traditos non ignoras: e Narbonenſi agro etiam eruere Theophraſtum. Hanc hiſtoriam, & nos Graecam ſcimus. Inertibus, enim lutulentis, atque craſſo limo paludibus obductis extractos, videri de terrae prodire ſinubus.* At Mela Latinos etiam auctores id commemoraſſe ſcribit: ne Graeca periclitetur fides. Ariſtoteles l. 6. de Animal. c.14 cum docuiſſet nonnulla, neque ex animato generari, neque coitu: item eorum, quae neque ouum pariunt, neque viuum, quaedam ex limo, aut arena, aut re aliqua putrefacta in arenae, limiue ſuperficie nante, Apuas, earumque, ſeu ſpumam, ſeu ſemen inde conflari, apponit haec: Σημεῖον δὲ ὅτι ἐνίοτ' ἐκ τῆς γῆς ἀνέρχεται· ἁλιευομένων γὰρ, ἐὰν ᾖ ψῦχος μέν, οὐχ ἁλίσκεται· ἐὰν δὲ εὐδία, ἁλίσκεται, ὡς ἐκ τῆς γῆς ἀνιοῦσα· πρὸς τὴν ἀλέαν· καὶ ἑλκόντων, καὶ ἀναξυομένης τῆς γῆς πλεονάκις πλείων γίνεται, καὶ βελτίων· αἱ δὲ ἄλλαι ἀφύαι, χείρους. Iul. Scaliger: *Eam vero*

e terra prodire interdum hoc argumento obſeruarunt piſcatores, quod frigidis temporibus non capiatur, ſed tepore conciliatis, quem de terra emergens captet illa. Quin trabeis ſcalpta humo ſaepenumero, & copioſiores, & praeſtantiores capiant. Alia vero apuarum genera deteriora. Nec deerunt fortaſſe, qui Apua, ſiue Aphye valere iuſſa, vt *inutili piſciculo, minimoque* Plinij iudicio lib. 31. c. 8. narratiunculae ſpecioſiori inhient. Strabo lib. 4. Τοῦ δὲ Ῥουσκίνωνος καὶ λίμνη πλησίον ἐστὶ, καὶ χωρίον ἔφυδρον μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης ἁλυκίδων μεστὸν, τὸ τοὺς ὀρυκτοὺς κεστρεῖς ἔχον. *Non procul Ruſcinone lacus eſt* [*Rubreſum* Mela vocat, *Rubrenſem* Plinius] & *puſillus locus aquoſus ſupra mare ſalinis abundans, vbi ſunt foſsiles mugiles.* Neque ſunt in limo ſummo, vt Apuae: Δύο γὰρ, ἢ τρεῖς ὀρύξαντι πόδας, καὶ καθέντι τριόδοντα εἰς ὕδωρ ἰλυώδες ἐστι παραπεῖραι τὸν ἰχθὺν ἀξιόλογον τὸ μέγεθος· τρέφεται δὲ ὑπὸ τῆς ἰλύος, καθάπερ οἱ ἐγχέλυες. *Duos enim, treſue pedes vbi foderis demiſſo in aquam limoſam tridente, eum piſcem iuſtae magnitudinis conficere eſt, qui anguillarum more, limo paſcitur.* Athenaeus lib. 8. ineunte: Πολύβιος δὲ ἐν τῇ τετάρτῃ, καὶ τριακοστῇ τῶν ἱστοριῶν κατὰ τὴν Πυρήνην φησὶν ἕως τοῦ Νάρβωνος ποταμοῦ πεδίον εἶναι, δι' οὗ φέρεσθαι ποταμοὺς Ἰλλέβερνιν, καὶ Ῥόσκινον ῥέοντας παρὰ πόλεις ὁμωνύμους κατοικουμένας ὑπὸ Κελτῶν. Ἐν οὖν τῷ πεδίῳ τούτῳ εἶναι τοὺς λεγομένους ἰχθῦς ὀρυκτούς·

ὀρυκτοὺς· εἶναι δὲ τὸ πεδίον λεπτόγειον, καὶ πολλὴν ἄγρωστιν ἔχον πεφυκυῖαν· ὑπὸ δὲ ταύτην διάμμου τῆς γῆς οὔσης ὑπὸ δύο, καὶ τρεῖς πήχεις ὑπορρεῖν τὸ πλαζόμενον ὑπὸ τῶν ποταμῶν ὕδωρ, μεθ' οὗ ἰχθύες κατὰ τὰς παρεκχύσεις ὑποτρέχοντες ὑπὸ τὴν γῆν, χάριν τῆς τροφῆς (φιληδοῦσι γὰρ τῇ τῆς ἀγρώστεως ῥίζῃ) πεποιήκασι πᾶν τὸ πεδίον πλῆρες ἰχθύων ὑπογείων, οὓς ἀνορύττοντες λαμβάνουσιν. Dalecampius: *Polybius lib.* 34. [perperam apud Mokium parte prima de Aquarum affectionibus excudere Polyb. lib. 24] *hiſtoriarum ſcribit iuxta Pyrenaeos montes Narbonam vſque campos eſſe, per quos Illiberis, & Ruſcino fluuij iuxta ciuitates eiuſdem nominis a Celtis habitatas decurrunt, ac in ijs campis foſſiles, quos vocant, piſces reperiri. Eius namque loci tenue ſolum eſſe, ac ſubnaſcente multo gramine herboſum: ſub eo vero cum ad duos, treſue cubitos arenoſa terra ſit, quam admouent aquam fluuij, labi & cum effuſa illa piſces ſub terra meantes pabuli cauſa, quod radice graminis impenſe delectentur, ſubterraneis piſcibus vniuerſam oram illam replere, quos egeſta humo capiunt.* Et ſi vetuſtati fidem commodare nouitas detrectat, Mokius prima parte de Aquarum affectionibus: *In Germania*, inquit, *vltra Albin quibuſdam in locis hac aetate effodiuntur piſces.* Plinius lib. 9. c. 57. *Idem tradit* [Theophraſtus] *in Paphlagonia effodi piſces gra-*

gratiſſimos cibis, terrenos, altis ſcrobibus, in his locis, vbi nullae reſtagnent aquae, miraturque & ipſe gigni ſine coitu. Humoris quidem vim aliquam ineſſe, quam puteis arbitratur, cum in nonnullis reperiantur piſces. Quidquid id eſt, hoc certe minus mirabile talparum facit vita ſubterranei animalis, niſi forte vermium terrenorum, & piſcibus natura ineſt. Atqui praeter vim, quam puteis, ac terrenis ſcrobibus imputat Plinius: cur ſubterraneis e ſpecubus venae, viaeue aquulas qualeſquales per opacitatem ſoli non conuehant cum piſculis vbiubi ſidentibus ſiue in puteis, ſiue in opimo limo? Pronuper Orciaci, (quae ciuitas a Catuacorum Duaco proxime diſſidet) vidimus ex putei hoſpitalis imo educi piſcem viuum pedalem, cuiuſmodi vicinia nullum profert. Seneca ad hanc rationem adſpexit qq. Natur. lib. 3. c. 19. *Magnam vim aquarum in ſubterraneis occultis fertilem foedorum ſitu piſcium. Siquando erupit, affert ſecum immenſam animalium turbam, horridam adſpici, & turpem, ac noxiam guſtu. Certe cum in Caria iuxta Lorymam vrbem talis exſiliſſet vnda, periere quicunque illos ederant piſces, quos ignoto ante eum diem coelo nouus amnis oſtendit. Nec id mirum. Erant enim pinguia, & differta, vt ex longo otio corpora: caeterum inexercitata,*

citata,

citata, & in tenebris ſaginata, & lucis expertia, ex qua ſalubritas ducitur. Naſci autem piſces in illo terrarum profundo, ſit indicium, quod anguillae quoque latebroſis locis naſcuntur: grauis & ipſe cibus ob ignauiam, vtique ſi altitudo illas luti penitus abſcondit. Conimbricenſes: *Iuxta Lorum. Larymna* opidum Plinio, *Loryma* locus lib. 5. c. 28. Ibidem c. 16. *Nihil enim vſquam inane eſt, & ſtagna obſeſſa tenebris, & locis amplis. Animalia quoque illis innaſcuntur: ſed tarda, & informia, vt in aere coeco, pinguique concepta, & in aquis torpentibus ſitu. Pleraque ex his coeca, vt talpae, & ſubterranei mures, quibus deeſt lumen, quia ſuperuacuum eſt. Inde, vt Theophraſtus affirmat, piſces quibuſdam locis eruuntur.* Idem cap. 17. *Et ſunt qui fabulas putant, piſcem viuere poſſe ſub terra, & effodi, non capi. Quam incredibile illis videretur, ſi audirent natare in garo piſcem: & coenae cauſa occiſum eſſe ſuper coenam, cum multum in delicijs fuit, & oculos, antequam gulam, pauit.* Non eſt Seneca ſemigraecus. Illo ſeculo flos ſcriptorum fuit: & Seneca Ciceronem, ac Plinium intereſt, qui Plinius germanitatem Caeſarum, atque Imperatorum vidit. Ouid. lib. 3. Triſt. Eleg. 10.

Vidimus

Vidimus in glacie piſces haerere ligatos:
Sed pars ex illis tum quoque viua fuit.

De his piſcibus Iuuenalis

——— Neque enim minor haeſerat illis,
Quos operit glacies Maeotica, ruptaque tandem
Solibus effundit torpentis ad oſtia Ponti
Deſidia tardos, & longo frigore pigros.

Repraeſentemus Strabonem lib. 7. vbi Maeotidem percurrit: Ὀρυκτοί τέ εἰσιν οἱ ἰχθύες οἱ ἀπολειφθέντες ἐν τῷ κρυστάλλῳ τῇ προσαγορευομένῃ γαγγάμῃ, καὶ μάλιστα οἱ ἀντακαῖοι δελφῖσι πάρισοι τὸ μέγεθος. *Piſces in glacie derelicti foſſiles, gangama capiuntur* [quae retis, qua ventrioſum eſt, pars quaedam eſt, non loci nomen, vti infauſte coniecit vetus interpres] *potiſſimum antacaei delphinis magnitudine ſuppares.* Hos Antacaeos *Delphinas* vocat Ouid. l. 3. Triſt Eleg. 10.

Tum neque ſe pandi poſſunt delphines in auras
Tollere: conantes dura coercet hiems gelu clauſos.

Immania ſunt hac in palude aquae ſupernantis glaciei ſegmenta, & monticulorum ſimulacra, ad quae diffringenda dolabra vtebantur, vt mirari hoc Seneca deſinat: diffractis effluunt piſces, qui dum libertatem quaeritant, in praetentas retes incidunt. Ita piſcatus bonus horum piſcium obuenit ope dola-

dolabrae, & gangamae. *Fuſcinula* potius eſt Strabonis *Gangama*. Hoc nominis namque Heſychius explicans dicit eſſe σκεῦος γεωργικὸν ὅμοιον τῇ κρεάγρᾳ, *Inſtrumentum rureſtre fuſcinae ſimile*. Γαγγάμη quid ſit, accipe ab Etymologo: Γαγγάμων γαγγάμονος· σημαίνει δὲ τὸ λαμβάνον δίκτυον. Addito: Ἔστι κυρίως γαγγάμη σαγήνη, ἢ δίκτυον· Ὅθεν καὶ οἱ σαγηνευταὶ γαγγαμοῦλκοί, οἱ σαγηνεύοντες· καὶ γαγγαμεύς τις, ὁ τῇ γαγγάμῃ ἐργαζόμενος. Malit Silburg. Γαγγαμεῦς, ἢ γαγγαμευτής. Heſychius: Γαγγάμη, ἐν ᾧ οἱ ἁλιεῖς συνάγουσι τὰ ὄστρεα· εἴρηται δὲ καὶ γαγγάμη. Rurſum Strabo l. 12. Εὔδοξος δὲ ὀρυκτοὺς ἰχθῦς ἐν τῇ Παφλαγονίᾳ λέγων ἐν ξηροῖς τόποις, οὐ διορίζει τὸν τόπον· ἐν ὑγροῖς δὲ περὶ Ἀσκανίαν λίμνην φησὶ τὴν ὑπὸ Κίῳ, λέγων οὐδὲν σαφές. *Eudoxus foſsiles piſces in Paphlagonia in aridis locis dicens, non determinat locum: in humectis vero circa Aſcaniam paludem ſub regione Cij, nec euidens quidquam dicit.* Viciniam Aſcaniae, & Cij Plin. oſtendit lib. 5. c. 32. Et vt non determinet Eudoxus qua in aridae plaga ſit piſcium prouentus, ob eius indiligentiam res incredibilior nulli videri debet: Determinat Theophraſtus: Οἱ δὲ ὀρυκτοὶ τῶν ἰχθύων· εἰσὶ γὰρ ἐνιαχοῦ καὶ τοιοῦτοι· καθάπερ τῶν περὶ Ἡράκλειαν, καὶ ἄλλοθι τῶν ἐν τῷ Πόντῳ. Vbi additur: Γίνονται μὲν καὶ παρὰ τοὺς ποταμούς, καὶ τὰ ἔνυδρα χωράφια. Deinde loculo exſiccato altius terram ſubire, ac in humido paſci, viuere, permanere, cum telluris dor-

ſum exaruerit, veluti muria conditos. Denique in Ponto concreta glacie merſos inuoluit. Inibi arcana naturae aperit haec: Exundationibus piſces in terra deſtitui, oua parere, ac ſimilem, aptamque generationi materiam, & principialem: tum in tempore piſces oriri, & pauco humido, quod terrae benignitas offert, vitam tueri: eaque ratione pumilos euadere piſculos. Neque locum deſignat Ariſtoteles lib. de Reſpiratione c. 9. Ἐπεὶ καὶ τῶν ἰχθύων πολλοὶ ζῶσιν ἐν τῇ γῇ, ἀκινητίζοντες μέντοι, καὶ εὑρίσκονται ὀρυττόμενοι. *Quia piſcium multi degunt in terra, immobiles licet; fodiendo inueniuntur.* Cur inibi non ſuffocentur, cauſam e naturae fontibus haurit: Ὅσα γὰρ μὴ ὅλως ἔχει πνεύμονα, ἢ ἄναιμον, ἐλαττονάκις δεῖται καταψύξεως. *Quaecunque enim carent pulmone, aut eo exſangui ſunt, minus egent reſpiratione.* Tales piſces hoc genus. Et vt ſint in arida: quemadmodum tellus nunquam tam arida eſt, quin humidi aliquid ſecum gerat; alioqui peſſum iret, cum naturae ſubſiſtentis vinculum ſit humor: ſic qualiquali humido aluntur hi piſculi, & cum preſſior ſit tellus ad reſpirandum refrigerantis aurae non egent, aut minus. D. Ambroſ. lib. 5. Hex. c. 4. *Neque enim, vt omnia huius aëris viuunt ſpiramine: quia hauriendi ſpiritus, & reſpirandi natura his non ſuppetit.* Idem Ariſtoteles lib. de

de Mirab. Auditis circa Pa‑hlagoniam tales eſſe piſces in altiori etiam tellure praeſtantes virtute cum neque aquae in vicino pareant, neque fluuij affluant: ſed ſola tellus ea pariat animalia. Α'μέσως ante, cum dixiſſet Heracleae, quae Ponto appoſita eſt, piſces eſſe foſſiles circa fluuiales, humectoſque locos, addit euenire nonnunquam, vt deſiccatis hiſce locis quādoq. ſub terra comprimi, tum magis magiſq. arefacta terra perſequendo humorem, limum peruadere, tum prorſus arefacta permanere in vdo, velut in luſtris, eoq. contentos eſſe. Quod ſi ante effodiantur, quam aquae ſuperueniant, moueri tunc. Nempe ſi aquae occupauerint, cum ijs ferri, & captatorem fallere. Eadem Ariſtoteli Theophraſtus, qui non tantum aquarum exundatione relictos tradit piſces, aut oua, ex quibus oriantur. Λοιπὸν γὰρ δὴ αὐτομάτως φύεσθαι· καὶ τοῦτο συνεχῶς. Α'δύνατος γὰρ ἡ πρὸς ἀλλήλους μίξις. *Reliquum eſt, vt ſuapte ſponte proueniant, idq; continua ſucceſsione. Impoſsibilis* [difficilis admodum] *enim mutuus coitus*. Nec tam mirum eſt in arido ſolo, aut vliginoſo piſces eſſe, quam bonos, ac ἀρετῇ ἀγαθοὺς Philoſophi verbo. Neque tam mirum eſt piſces occuli ſolo, quam ſaxorum viſceribus, vnde extrahi dapſiles, atque opipari potius queunt, quam ex foeculentis cunabulis. Goropius Becanus multiiugae lectionis vir, quiq. de multis

 iudicio

iudicio acerrimo diſſeruit lib. 3. Niloſcopij pag. 241. haec: *In litore Anconitano ſaxa magni ponderis quinquaginta, & plurium etiam librarum e mari trahuntur: his colos, & conſtitutio exterior ea eſt, quae lapidi Aetiti* &c. *Rumpuntur haec ſaxa maioribus malleis ferreis magna vi impactis .... quo piſciculi delicatiſsimi extrahuntur eiuſdem generis cum Solenibus, quas cappas longas Veneti appellant: ſed eo delicatiores, quod non aqua marina, ſed rore quodam tenuiſsimo per lapidem imbibito paſcuntur. Hi plures numero ad viginti, modo plures, modo pauciores ita ſaxo includuntur, vt ſingulis ſuus ſit nidus, ad magnitudinem, & figuram piſcis omnibus lineamentis reſpondens. Inter nidos ſaxeo interſtitio relicto, ex his veluti e vaginulis rupto lapide eximuntur integri Solenes ad palatum, & lumbos delicatorum plurimum facturi. Quod ſi in his ſaxis viuos, abſolutcſque cum vnguiformi ſua fiſtula: quid ſub terra? ſub limo, & coeno?* Theophraſtus: Παραπλήσιον δὲ ἐστι τούτῳ καὶ ἐπὶ τῶν ἐκπηγνυμένων ἐν τῷ Πόντῳ, ὅθεν περιλαμβάνονται τῷ κρυστάλλῳ καὶ ὀυ πρότερον αἰσθάνονται, καὶ κινοῦνται, πρὶν εἰς τὰς λοπάδας ἐμβληθῆναι, καὶ ἕψεσθαι. Πάντων δὲ μάλιστα δοκεῖ πάσχειν τοῦθ' ὁ κωβιός. Interpres: *Atque huic non eſt abſimile, quod in Ponto accidit, vbi gelati piſces capiuntur in glacie, qui non ante aut mouentur,*

mouentur, aut ſentiunt, quam in ollis poſiti ſint, & elixentur. Quod prae caeteris gobionibus accidit. Ea re dictum Senecae lib. 3. Naturalium qq. c. 17. *Non cum retibus aliquem, aut cum hamis: ſed cum dolabra ire piſcatum.* Ibidem: *Et ſunt, qui fabulas putant, piſcem viuere poſſe ſub terra, & effodi non capi?* Tandem ad vmbilicum hae vt perueniant obſeruatiunculae, renario tibi, Lector beniuole, ex Plinio lib. 9. c. 57. *Piſcium genera etiamnum a Theophraſto mira produntur. Circa Babylonis rigua decedentibus fluuijs in cauernis aquas habentibus remanere. Quoſdam inde exire ad pabula pinnulis gradientes crebro caudae motu, contraq́ue venantes refugere in ſuas cauernas, & in ijs obuerſos ſtare. Capita eorum eſſe raiae marinae ſimilia, reliquas partes gobiorum, branchias vt caeteris piſcibus. Circa Heracleam, & Cromnam, & multifariam in Ponto vnum genus eſſe, quod extremas fluminum aquas ſectetur, cauernaſq́ue faciat ſibi in terra, atque in his viuat, etiam reciprocis amnibus ſiccato litore. Effodi ergo: motu demum corporis viuere eos approbante.* Quae paene verbatim expreſſa ſunt ex Ariſtotele libro de Mirabilibus auditis: Φασὶ δὲ καὶ περὶ Βαβυλῶνά τινες ἰχθύδιά τινα μένειν ἐν ταῖς τρώγλαις ταῖς ἐχούσαις ὑγρότητα ξηραινομένου τοῦ ποταμοῦ· τούτους ἐξιόντας

ἐπὶ τὰς ἅλως νέμεσθαι, καὶ βαδίζειν ἐπὶ τῶν πτερύγων, καὶ ἀνακινεῖν τὴν οὐρὰν· καὶ ὅταν διώκωνται, φεύγειν· καὶ εἰσδύντας ἀντιπροσώπως ἵςασθαι· πολλάκις γὰρ προσιέναι τινας, καὶ ἐρεθίζειν. Ἔχουσι δὲ τὴν κεφαλὴν ὁμοίαν βατράχῳ θαλαττίῳ, τὸ δὲ ἄλλο σῶμα κωβιῷ, βραγχία δὲ ὥσπερ καὶ οἱ ἄλλοι ἰχθύες. Retulit haec omnia verbatim Theophraſtus in ſuum de piſcibus in ſicco degentibus libellum. Vbi & de Exocoeto: Τοῦτον γάρ φασιν ὀσημέραι ποιεῖσθαι τὴν κοίτην ἐν τῇ γῇ. Atque ex hac *dormitione extra* mare *Exocoeti* nomenclatio. Plin. l. 9. c. 19. *Miratur & Arcadia ſuum Exocoetum, appellatum ab eo, quod in ſiccum ſomni cauſa exeat.* Attexit Plinius: *Exeunt in terram & qui marini mures vocantur, & polypi, & murenae. Quin & in Indiae fluminibus certum genus piſcium, ac deinde reſilit.* Opinatur inſuper vti quidam piſces in ſtagna & amnes tranſeunt, vt tutae ſtationi foetum committant, vitentque beluarum ferociam: eodem conſilio quoſdam terrae ſe credere. At de his quoque ſunt illa Theophraſti: Τὰ δὲ ἐν Ἰνδοῖς ἰχθύδια, τὰ ἐκ τῶν ποταμῶν εἰς τὴν γῆν ἐξιόντα, καὶ πηδῶντα, καὶ πάλιν εἰς τὸ ὕδωρ ἀπιόντα, καθάπερ οἱ βάτραχοι. Tantundem Athen. lib. 8. & amplius in aquam terrore redigi, repetitque de Exocoeto hiſtoriam, & appellationem. Ioſ. Acoſta l. 3. c. 15. In inſulis Barlouenti, Cubae, S. Dominici, Ditiportus, & Iamaici piſcis Manatus vocitatur, alieno a piſci-

a piſcibus corporis filo. Animal eſt viuiparum, mammoſum, & in ſobolis alimentum lactis foetum eſt: paſcitur gramen ſilueſtre, ab ingenio plurimum in aquis ſe tenet: eapropter eodem iure, quo piſculenta, eſitant. Caro illi & vitulo Europaeo terreſtri eodem ſapore, & guſtu. Vides quae Plinius, ſi modo non lacer eſt, praetermiſerit, & quanta fide Ariſtotelem reddiderit. Siquid de piſcibus amphibijs, geſtis videre, i ad Athenaeum lib. 8. c. 2. & Plinium lib. 9. c. 57. De piſcium pluuia docebit Euſtathius ad Iliadem primam ex Phaenia, & Athenaeus lib. 8.

CAP. X.

Sal Terrae vbi locorum.

MIſſo ſale maris vſitatiſſimo iuxta, atque cognitiſſimo, Salem erutis iam de ſolo piſcibus, ne putiſcant, ex eodem ſolo quoque effodiamus, & offundamus: nam *totis corporibus nihil eſſe vtilius ſale, & ſole* ſcripſit Plinius, cuius & illa ſunt l 31.c 7. *Ergo hercule vita humanior ſine ſale nequit degere: adeoque neceſſarium elementum eſt, vt tranſierit intellectus ad voluptates animi quoque. Nam ita Sales appellantur: omniſque vitae lepos, & ſumma hilaritas,*

Digitized by Google

hilaritas, laborumq́ requies non alio magis vocabulo conſtat. Honoribus etiam, militiaeque interponitur, Salarijs inde dictis magna apud antiquos auctoritate, ſicut apparet ex nomine Salariae viae, quoniam illa ſal in Sabinos portari conſueuerat. Ancus Marcius rex ſalis modia ſex millia in congiaria dedit populo, & ſalinas primus inſtituit. Varro etiam pulmentarij vice vſos veteres auctor eſt: eſitaſſe enim ſalem cum pane, & caſeo, vt prouerbio apparet. Maxime tamen in ſacris intelligitur auctoritas: quando nulla conficiuntur ſine mola ſalſa. Praeclara ſalis commendatio.

Non defuere antiquitus, qui terrae Salem nullum ſcriberent, quia non viderant, nec aliunde norant: alij non aequa cum marino vi pollere ſunt opinati. Verum quid Antiquitatis ſecretarij ſuper ſale foſſitio in monimenta coniecerint, animaduerte. Ac in primis Galenus lib. 8. de Facul. Simpl. Medicam. de ſalibus: Εἰσὶ δὲ καὶ οἱ ὀρυκτοὶ καλούμενοι, τῷ τῶν μεταλλικῶν φαρμάκων περιλαμβανόμενοι γένει: *Sunt & Sales foſsitij dicti, quod metallicorum medicamentorum genere comprehendantur.* Quem & lib. 4. vide. Varrro lib. 2. de RR. *Melior ſal foſsilis, quam marinus.* Eadem paene eſt Dioſcoridis cenſio lib. 5. Τῶν δὲ ἁλῶν ἐνεργέστερον μὲν ἐστι τὸ ὀρυκτόν: *Inter ſales virtute*

praeſtat

praeſtat foſsilis. De quo cenſeant, velim, naturae myſtae. De terra terrenus oritur craſſiuſculus, ne dixerim viſcoſior, & corpulentior, ideoque durabilior, quae Salis laus eſt non vltima. Contra marinus, vtpote ex vnda maris concretus, videtur ſubtilior, penetrabilior, ac ſe in animalium carnes poroſas inlatebrare penitius: eoque plus ad eorum ſalutem conferre virium: qua cauſa Strabonis, Plutarchi, Euſtathij iudicio *Salem diuinum* dictum Poëtae principi: ſicut Platoni θεοφιλέστατον, Lycophroni Ἁγνίτην ob ſanctimoniam teſte Euſtathio, non ob caſtimoniam: γεννητικὸν γάρ. Vide Plutarch. tom. 2. probl. 10. lib. 4. Ideo Sacerdotes Aegyptiorum Salis abſtinentiam ſubſidium rebantur eſſe caſtitatis.

Numidas Salluſtio laudatos, quod *neque ſalem, neque alia gulae irritamenta haberent*, alios item populos Tireſiae indicatos,

——— οἳ οὐκ ἴσασι θάλασσαν
Ἀνέρες, οὐδὲ θ' ἅλεσσι μεμιγμένον εἶδαρ ἔδουσιν,

ſuſque, deque habemus: contra quibus mens diuinior, ijs eſt Salis vſus quotdiebus, aut eſus. Auctior illa Euſtathij commendatio ad Iliadem decimam: Ἐξ ἁλὸς καταπάσσων βρῶμα, ἡδύτατον αὐτὸ ποιεῖ, καὶ τὸν ἐν μεγίσταις ὄντα λύπαις πείθει φαγεῖν: *Sale cibum ſpargens maximam*

ſuauitatem adhibet , maximaque occupatus triſtitia vt edat, perficit. Cauſa, cur Salem θρίγκωμα τροφῆς vocitarit Plutarchus problemate 10. l. 5.

Imo facilius ex terreo, quam ex aqueo ſal coaleſcit. Nam humidi ſecretio conſtipationi praeit, ac neceſſaria eſt. Ariſtoteles Meteor. lib. 4. cap. 10. Οἱ μὲν γὰρ ἅλες ὑγροῦ μόνου στερήσει πήγνυνται, καὶ ὅσα εἰλικρινῆ γῆς. Interpres: *Quae terra ſincera conſtant.* Totum: *Sales humidi ſolius priuatione concreſcunt, & quae ex terra cumque ſincera ſunt.*, abſque admiſtione humidi. Quare c. 7. effatur haec: Οἱ ἅλες γῆς εἰσι μᾶλλον: *Qui e terra ſunt, Sales potiſſimi.* Atque vt ſint haec, ſal tamen abſque dulci non confit. Plin. l. 2. c. 12. ſcribit *Pluuias ſalinis aquas vtiliores eſſe, quam reliquas: nec fieri ſalem, niſi admiſtis dulcibus.*

Quibus tandem in regnis, regionibus locis Salis eſt prouentus ? In ea quaeramus primum regione, vbi mira omnia aut oriuntur, aut felicius oriuntur, aut finguntur. Foſſicium ſalem refodit ex India terra Strabo lib. 15. Φασὶ δὲ ἐν τῇ Σωπείθους χώρᾳ ὀρυκτῶν ἁλῶν ὄρος εἶναι, ἀρκεῖν δυνάμενον ὅλῃ τῇ Ἰνδικῇ: *Aiunt in Sopithis regione foſsilis eſſe montem ſalis, qui toti Indicae ſatis eſſe poſsit.* Qui mons ? &, ſi tanta eius eſt amplitudo, quantae ex eo opes ? Vtrumque Plinius euoluat lib. 31. c. 7. *Sunt & montes natiui Salis,*

vt

vt in Indis Oromenus, in quo lapidicinarum modo caeditur renaſcens: maiuſque regum vectigal ex eo eſt, quam ex auro, atque margaritis. Eiuſdem ex metalli prouentu vectigal anniuerſarium Regi terrae Galliae prope colligitur infinitum, ac Burgundiae Duci proportione.

A Thebis Aegyptijs, qua ad Herculis itur columnas, ſupercilium montis eſt dierum decem iter longum, vbi ἁλός ἐστι τρύφεα κατὰ χόνδρους μεγάλους ἐν κολωνοῖσι: *Salis fruſta ſunt velut ingentes grumi in tumulis*, Herodotus lib. 4. Poſt pauca meminit alterius tumuli Salis Ammonio ſimilis propter Aegilam, Altrinſecus poſt Aegilam collis alius occurrit emenſis viam dierum decem ſalis foecundus. Statuit eiuſdem metalli feracem tumulum quoque apud Atlantas populos, quin Atlantem ipſum montem Salis auctum diuitijs memorat: Ἔχεται δὲ τοῦ ἁλὸς τούτου ὄρος, τῷ οὔνομα Ἄτλας: *Sequitur autem Salis mons, cui nomen Atlas.* Ibidem ad Herculeas columnas: Ἔστι δὲ ἁλός τε μέταλλον ἐν αὐτῇ. Inſigne additamentum de Libycis *Salibus*: Ὁ δὲ ἅλς αὐτόθι καὶ λευκός, καὶ πορφύρεος τὸ εἶδος ὀρύσσεται: *Sal ijs e locis & albus, & purpureus in ſpeciem effoditur.* Noto τὸ εἶδος, ſpecie, figuraque ſeruata: nam tritus alibi decoloratur. Apud Luſi-

tanos, inquit Strabo lib. 3. Ἅλες πορφυροῖ, τριφθέντες δὲ λευκοί: *Sales purpurei: triti vero albi.* Eſt & *Centuripis*, quae Siciliae vrbs eſt, *purpureus*, inquit Plinius anterius.

Libyae deſerta ventorum turbinibus, ac procellis, hominumque ſolitudine cur pleriſque tam deſpicabilia: ſi iuuandis, alendiſque hominibus, & amicitijs ſanƈte colendis ſalem progerminant? Plinius inante: *Quo exemplo poſtea inter Aegyptum, & Arabiam etiam ſquallentibus locis coeptus eſt inueniri detractis arenis: qualiter & per Africae ſitientia vſque ad Ammonis oraculum.* Ex hoc & ſpecies noua, & appellatio. Ibidem: *Cyrenaici tractus nobilitantur Ammoniaco, & ipſo, quia ſub arenis inuenitur, appellato.* Ἄμμος, *Arena*: vnde & *Iupiter Ammon*. *De Ammoniaco* i ad Herodotum lib. 4. Dioſcoridem lib. 5. Et Peluſij lutus meretur honorem ex Sale, quem inibi regia reperit induſtria Ptolomaei regis, *cum caſtra faceret*, inquit Plinius.

In Carmania ὄρη εἶναι δύο, τὸ μὲν ἀρσενικοῦ, τὸ δὲ ἁλός: *In Carmania duos eſſe montes, Arſenici vnum, Salis alterum*, Strabo, atque Euſtathius.

Apud Bactros amnis Ochus, & Oxus ex appo-

ſitis

ſitis montibus deferunt Salis ramenta, Plin. lib. 31. c. 7. Ergo ijs in montibus ſal, quem abradunt, conuerruntque amnes confluuij.

Vtica *Priſca ſitu, veteriſque ante arces condita Byrſae*

magnifice a Silio Italico circumſpicitur: Plinio vero a ſalis tumulis, lib. 31. cap. 7. *Africa circa Vticam conſtruit aceruos ſalis ad collium ſpeciem: qui vbi ſole, lunaq; induruere, nullo humore liqueſcunt, vixq; etiam ferro caeduntur.*

In Hiſpania quoque citeriore Egelaſtae caeditur, glebis paene tranſlucentibus, cui iampridem palma a pleriſque medicis inter omnia ſalis genera perhibetur, Plinius haec.

Calupenam, Camiſenamque Strabo nobilitat ἰχοῦσας ὀρυκτοὺς ἅλας lib. 12. a *Sale foſsicio*. Eodem libro: Εἰσὶ δὲ ἐν τῇ Ξιμένῃ ἅλες ὀρυκτοί: *Ximene ſales habet foſsiles.*

Τάττα ἁλοπήγιόν ἐστιν αὐτοφυὲς ſcribit lib. 12. Strabo, quae etſi palus eſt, Salque eius ex aquis concreſcit: tamen adiecta miracula non deſerant hunc locum. Eo deiecti funiculi in circulum efformati, ſalis coronam imaginem extrahenti reddunt, & auiculae ſi Tattae paludis aquis alas irrorentur, ipſa conſtrictione concidunt.

Nequis inuſitati nominis ratione offenſus reponat, λιμνοθάλαττα, illuſus Strabonis loco lib. 7. Τούτων δὲ ὑπέρκειται λιμνοθάλαττα ἁλοπήγιον ἔχουσα, vetat Plinius (non enim huic pedi cothurnus ille conuenit) cui Plinio lib. 31. c. 7. & 9. *Sal Tattaeus* curae fuit. Vetat quoque Dioſcorides lib. 5. Εὐτονώτατον δὲ αὐτοῦ ἐστι τὸ Φρύγιον καλούμενον τὸ Ταττᾶιον: *Valentiſsimus vero ibi eſt Sal Phrygius, quem Tattaeum dicunt.*

Himera Siciliae flumen eſt (quo ſuper in Silianis ſatis, ſuperque ſcripſimus) ab eo non procul terram eſſe, *vnde ſal foditur*, teſtatur Vitruuius lib. 8. c. 3. cuius vox eſt *Saliſodina*, vt e ſolo noris effodi ſalem.

Halys fluuius (cui Salis foſſicij praeſtantiá nomen attulit) erumpit ex loco, ἔνθα ὀρυκτοὶ ἅλες εὑρίσκονται. Notat Euſtathius ad Dionyſium, hauſitque e Geographo lib. 12. Ἡ τοῦ Ἅλυος ἐκβολὴ ποταμοῦ· ὠνόμασται δὲ ἀπὸ τῶν ἁλῶν, ἃς παραῤῥεῖ: *Halyos fluuij oſtia nomen habent a Sale, quod praeterlabitur.* Addo Antigonum c. 173. *in Citto paululum exhauſta terra ſales inueniri.* Attexo quorundam opinione Ἀλήιον πεδίον ſcribi apud Homerum in Bellerophontis hiſtoria παρὰ τὴν ἅλα, ὃν φέρει, *ob ſalem, quem fert* commentantis ore.

Cappadocae etſi vetere prouerbio inter τρία κάππα

κάκιστα

κάκιςα connumerati infamentur, Salis tamen diuitijs e telluris gremio lectis cohoneſtantur. Plinius: *Effoditur & e terra, vt palam eſt, humore denſato, in Cappadocia.* Modum addocet: *Ibi quidem caeditur ſpecularium lapidum modo. Pondus magnum glebis, quas micas vulgus appellat.* Addit colorem, addit odorem: *In Cappadocia rufus effoditur, tranſlucidus, & odoratiſsimus.* Straboni lib. 16. Ε'ισὶ δὲ ἅλες ἐυώδεις ἐν Ἄραψι, ὥς φησι Ποσειδώνιος: *Sunt Arabibus Sales bene odorati Poſidonij teſtimonio.* Poſidonij nares aura Arabicarum mercium, & prouentuum aura potius afflatas conijcerem, quam Salis: ni idem Strabo lib. 17. Nomadum Ægyptiorum Salibus idem precium faceret.

Epirotas apud ἅλες ἑυρίσκονται, διον ὀρυκτοί, Euſtathius in Odyſſ. Α cuius totos commentarios paene puer perlegi.

Goropius naturae obſeruator Niloſcopij lib. 3. haec obſeruitauit: *Halae ad Oenum altiſsimum montem vidi totum e ſale conſtare.* Praeterea: *In Galathanis Pyrenaei radices copioſum ſalem ſubminiſtrant.*

Hauſimus e terra Salem: eumne generationi noxium, an vtilem? De Sicimis ſacra monimenta teſtantur Iudic. c. 9. *Oppugnabat vrbem, quam cepit*

[Abi-

[Abimelech] *interfectis habitatoribus eius: ipſaque deſtructa, ita vt Sal in eas reſpergeret.* Prorſus vt ſterileſceret ſolum, eiuſq. vrbis intermoreretur memoria. Nam ſi aedificationibus ſublatis ſolum ingenio ſuo relictum reſtitiſſet, fieri potuit, quod de Troia lepidiſſimo Poëtarum cantatum eſt:

Nunc ſeges eſt, vbi Troia fuit, reſecandaque falce
Luxuriat Phrygio ſanguine pinguis humus.

Pari infortunio χωρίον ἀλίπαστον, ἐξ ἐπιβολῆς τινος πρὸς τὸ μὴ φύειν καρπὸν legas apud Euſtathium. Ratio, Terrae ſuccum, & pinguedinem exedit. Idque duabus ex cauſis, Calore, Siccitate. Gemina pſalmo 106. *Poſuit terram fructiferam in ſalſuginem a malitia inhabitantium in ea.* Notauit etiam Seruius ſatum ab Vlyſſe Salem ex inſaniae ſimulatione tritici vicem: eo namque facinore ſpem meſſis incidebat in ſemine, quod ſapientiae inimicum eſt. Neque vanum hoc Plinij lib. 31. cap. 7 *Omnis locus, in quo reperitur Sal, ſterilis eſt, nihilque gignit.* Caſſiodorus lib. 2. *Salem generet ſterilem.* Huic adagioni locus: *Litus arare.*

Nihilominus campis Sale refertis Garamantes fertilitatem ſuperimpoſita humo conciliabant Herod. l. 4. Γαράμαντές ἐστι ἔθνος μέγα ἰσχυρῶς, οἳ ἐπὶ τὸν ἅλα γῆν ἐπιφορέοντες οὕτω σπείρουσι: *Garamantes ſunt gens admodum magna, qui ſalem terra importata obruunt, tum ſeminant.*

Hac

Hac ratione, induſtriaque euertas adagionem, litorique fruges reddas: niſi forſan relabens aeſtus ſalſiorem aggeſtam humum redderet. In Britania quoque agreſtium laudat induſtriam Eraſmus, qui ſitientiſſimas arenas cogant ferre triticum. Leuinus Lemnius lib. 2. cap. 36. *Agris quoque ſterilitatem eo* [ſale] *expugnant: vbi plus ſatis paluſtres ſunt, atq. vliginoſi.* Neque ſubſtratum Sal ſationem parce adiuuat: ſolum namque incalfacit, humidius caſtigat, & excoquit: dum ne quid ſupra modum. Sal enim etſi ἄλλων ὄψων ὄψον, καὶ ἥδυσμα ſit apud Plutarchum: ſi tamen eſus exuberet, venenum praeſens eſt. D. Auguſt. lib. 2. de Moribus Manichaeorum c. 8. *Salem immoderatius acceptum quis non venenum eſſe clamauerit?* Salis igitur vis magna litori infuſa fruges praepedit naſcituras: ſiquae emicant, interimit: moderatio iuuat indolem loci, neque auari agricolae ſpem fallit.

Expendendus hic nobis Theophraſtus l. 2. de cauſis Plantarum c. 7 p. 240. Ὅσα δὴ πρὸς αὐτῇ τῇ θαλάσσῃ φύεται, χρῆται πῶς τῇ ἁλμυρίδι πρὸς εὐσθένειαν, καὶ τροφήν: *Quaecumque propter mare oriuntur, ſalſilagine quodammodo ad vires, & alimentum vtuntur.* Apponit rationem nec inſulſam, nec optimam: Ἔοικε γὰρ καὶ τοῦτο ἴδιόν τι γένος εἶναι: *Videtur enim*, inquit, *proprium hoc genus*

 eſſe.

eſſe. At non eſt. Ratio vera: Quia radices altius actae ſucco aluntur percolato, qui percolando miteſcit, partemque ſalſi exuit. Hoc indicat Theophraſtus ipſe: Τὰ δὲ ἁλικὰ τῶν ὑδάτων ὕδατα τρέφει μὲν καὶ τὰ ἔγγεια· χεῖρον δὲ τῶν γλυκέων· ἀναυξῆ γὰρ ποιεῖ, καὶ ἐπικαίει: *Aquarum ſalſae alunt, & quae in terra: minus vero quam dulces. Nam illae ſalſulae incrementum impediunt, & adurunt.* Sic in ora Belgij, & Zelandiae maritimis ſuccreſcunt arbores non a ſalſo propritim altae, ſed ab humore mitigato, & per venas ſubterraneas excribrato. Neque inficiandum hoc plantarum aliquarum eſſe ingenium, vt ſalſo laetentur. Sic palmis proſunt ἅλες προβαλλόμενοι ſucci natiui vicinia. Iuuātur & ſalſis Braſſica, Beta, Ruta, Eruca, Theophraſtus.

Neque ſatorum procreationi conducit Sal: verum etiam animantium foeturae. Praeſignis eſt in decimo Plutarchi problem. nota l. 5. Τὸν ἅλα οὐκ ὀλίγον πρὸς γένεσιν συνεργεῖν οἴονται: *Salem non mediocriter generationi conferre opinantur.* Οἱ γοῦν τοὺς κύνας φιλοτροφοῦντες, ὅταν ἀργότεραι πρὸς συνουσίαν ὦσιν, ἄλλοις τε βρώμασιν ἁλμυροῖς, καὶ ταριχευτοῖς κρέασι κινοῦσι, καὶ παροξύνουσι τὸ σπερματικὸν αὐτῶν ἡσυχάζον. *Quibus igitur canum alendorum cura non poſtrema, cum in venerem ſegniores ſunt, alimentis ſalſis, & muria conditis carnibus languentem, ac feriatam proſeminandi vim cient, irritantque.* Gregorius M. hom.

17. in

27. in Lucam: *Saepe videmus, quod petra Salis brutis animalibus anteponitur, vt ex eadem Salis petra lambere debeant, & meliorari.* Docet hoc experientia noua Plutarcho ſignata: Τὰ δὲ ἁλιηγὰ πλοῖα πλῆθος ἐκφύει μυῶν ἄπλετον, ὡς μὲν ἔνιοι λέγουσι τῶν θηλειῶν, καὶ δίχα συνουσίας κυουσῶν, ὅταν τὸν ἅλα λείχωσι: *Nauigia ſalem vehentia murium vim producunt immanem, & quod adſerunt nonnulli, foemine Sale lincto abſque coïtu foetantur.*

Probabile quoque addit feris pruritum ſalſilaginem ingignere, animanteſque in venerem excire. Hac ratione non vana eſt fabula de Venere Anadyomene toties a Plinio, aliiſque nobilitata, picta, ficta: neque ſolum in mare, ſed in marem quoque *ius habet orta mari*, eaque cauſa Ἀφροδίτη nominatur paſſim, Ἀφρογενής a Clemente in Protreptico, Oppiano Ποντογένεια, Nonno Θαλασσόγονος, & Ἁλιγενής agnominatur. Ea namque fabula τὸ τῶν ἁλῶν γόνιμον αἰνίττεται, inquit Plutarchus. Adde marinos deos liberorum plurimorum parentes fingi. Neque animantium, quae in coelo verſantur, aut in ſolo, foecundius vllum eſt genus, piſcibus in ſalo, generationem maritimo Sale impenſius procurante. Ex quo eſt illud Empedoclis: φῦλον ἄμουσον ἄγουσα πολυσπερέων καμασηνῶν: *Agens mutorum genus piſcium ſpermate abundantium.* Suntque

in omni paene genere piſcium examina, turmae, & vndantes vberrime populi. Eo factum, vt Iudaeis multiplicare ſit רגש, ac ſi animalia nulla piſce felicius, auctiuſque proueniant.

Vti Plinius animantes Sale ad paſtum irritari tradit: ita ſapientiae corculum Ariſtoteles oues Sale pingueſcere, valeſcere, vberiores eſſe. Plin. lib. 31. c. 7. *Quin & pecudes, armentaque, & iumenta Sale maxime ſolicitantur ad paſtum.* Sapiens lib. 8. c. 13. Hiſtor. Animal. Διδόασιν ἅλας διὰ πέντε ἡμερῶν μέδιμνον τοῖς ἑκατόν· γίνεται γὰρ ὑγιεινότερον οὕτω, καὶ πιότερον τὸ ποίμνιον: *Per dies quinque Salis medimnum dant centenis ouibus: ea ratione grex ſaneſcit, & pingueſcit.* Addit: Τοῦτο γὰρ καὶ γάλα ποιεῖ πλεῖον: *Sal enim copiam lactis auget.* Item: Ἁλιζόμεναι μείζω τὰ οὔθατα κατάγουσι: *Sale paſtae ouiculae grandiora demittunt vbera.* Ac generatim cúm pinguiores euadant olea, oleaſtro, vicia, palea, herba: pinguiores erũt his pabulis ἁλμῃ περιῤῥανθεῖσι, *ſalſugine prius roratis*. Delibauit haec vniuerſa e Philoſopho loco non vno Euſtathius.

Cum vero in tam varios vſus Sal impenditur, conſumitur, eiuſque annona fit carior: eo inuentae ſunt artes Salis factitandi, cuius facticij de generibus adiri poteſt Langius 32. Variarum, & Leuinus Lemnius. Ne tamen artem ſpretim habuiſſe videamur,

mur, dico e Varrone lib. 1. de RR. c. 7. in Gallia Tranſalpina intus ad Renum, *vbi Salem nec foſſicium, nec maritimum habent, ſed ex quibuſdam lignis combuſtis, carbonibus ſalſis pro eo vtuntur.* Quibus e lignis? Plinius lib. 31. c. 7. *Quercus optima, vt quae per ſe cinere ſincero vim ſalis reddat: alibi corylus laudatur: ita infuſo liquore ſalſo carbo etiam in Salem vertitur.* Addito: *Quicunque ligno conſit Sal, niger eſt.* Hunc tu Romane caueto.

Haec eſt Salis per artem nouandi, atque amplificandi ratio: verum in re propemodum omnium ſaluberrima ne parcius ſuccurriſſe videretur natura, aut naturae Deus, qui indiſcriminatim ſolis radijs benigne probos, improbos illuſtrat: quemadmodum ales Arabiae ſuo reparata buſto ſeſe reſeminat: vt in Aethaliae foſſis ferri recreſcit ſeges: vt in Paro marmor: vt *in Vulcanijs inſulis naturae inextricabilis potentia tantum crementi rupibus reponit, quantum illi vorax ignis ademerit* Caſſiodoro ſcribente: vt de campis Mantuanis Poëtae Mantuani teſtimonium eſt:

——— *Quantum longis carpent armenta diebus,*
Exigua gelidus tantum ros nocte reponet:

quod de Roſeae campis potiſſimum interpretatur Varro lib. 1. de RR. c. 7. Sic, ſic ex Sale terreno

quantum tollis, tantum nec multo poſt alibi reparatur. Cato cum de Hiſpanis Alpinis ſcriberet, qui circa Iberum colunt, verba haec poſuit: ***Sunt in his regionibus ferrariae argentiſodinae pulcerrimae: mons ex Sale mero magnus: quantum demas, tantum accreſcit***, i ad Gellium lib. 2. c. 22. Vidiſti quoque inante ex Plinio ***natiuum Salem*** renaſci in Oromeno monte. Idem Plinius lib. 31. c. 7. de Aſpendio Sale: ***Aliud etiam in eo admirabile, quod tantundem noctu ſubuenit, quantum die auferas.***

Porro quia dixit Sophus lib. 4 c. 7. Meteor. Οἱ ἅλες γῆς εἰσι μᾶλλον: *Magis eſt, vt e terra Sal ſit:* Salem terrae, pelagio potiorem eſſe non vana coniectura eſt, quae ex compoſitione quoque deprehenditur. Nam τὸ προηγούμενον eſt Salem humidi ſecretione fieri; aqua ipſius humor eſt, terra precario humore donatur: ex quo fit, vt Sal de terra valentior, de aqua paulo deterior emergat. Vnde vlterius conſit terreſtrem tugurijs, & agreſtium caſis commodiorem eo eſſe, qui ex aqua exprimitur. Quaedam enim nationes e Sale aedificia ſibi oblimauerunt. Strabo lib. 16. Χαλδαίων οἰκούντων τὴν ἁλμυρίδα, καὶ ἐχόντων ἁλίνας τὰς οἰκίας, ἃς ἐπειδὴ λεπίδες τῶν ἁλῶν ἀφιστάμεναι κατὰ τὴν ἐπίκαυσιν ἐκ τῶν ἡλίων, συνεχεῖς ἀποπίπτουσι, καταῤῥαίνοντες ὕδασι πυκνὰ τοὺς τοίχους συνέχουσιν. ***Chaldeis,***

qui

qui locos ſalſos habebant , & *domos e Sale*, *quas vbi Salis ſquamulae a ſolibus adurentibus ſeparatae continuo defluunt* , *aquis irrigantes denſiores parietes conſtipant*. Herodotus lib. 4. de incolis ad Herculeas columnas: τὰ δὲ οἰκία τούτοισι πᾶσι ἐκ τῶν ἁλίνων χόνδρων οἰκοδομέαται: *His omnibus domicilia conſiunt ex maſſa Salis*. Plinius lib. 5. c. 5. *Inter Naſamones* , & *Troglodytas gens Hammanientum eſt*, *quae Salibus domos exſtruunt* , *quos in modum cautium e montibus excitatos ad vſum aedium caementicijs nectunt ſtruibus. Tanta ibi huiuſce venae copia eſt* , *vt tecta faciant e ſalinis*. A quo ſuatim mutuatus eſt Solinus c. 41. Idem Plinius lib. 31. c. 7. *Carrhis Arabiae opido muros*, *domoſque maſsis Salis faciunt*, *aqua ferruminantes*. Verum Herodotus muros ex Sale, aqua ſolui dequeritur. vter verior? An diuerſis ex principijs Sal coactus ferruminatur hic aquis, illic ſoluitur:

Limus vt hic dureſcit , & *haec vt cera liqueſcit?*
Sic quidquid recipitur, pro modo, ac ratione ſubiecti, recipitur. Aceto rupes Alpinae diffractae ſunt: Cleopatre vnio liquitur: aſſerculi concerpuntur: aceto firmantur viſcera, lina, cruſta, alia. An pluuiae aquae ex alto labenti rapidior aedificata deſtruendi vis? Vtut ſit, non videntur congeſtae e Sale caſae, niſi e terreſtri

Pro-

Digitized by Google

Pro ſalinis non ſecus, ac pro aris, fociſque olim decertatum Autariatas inter, ac Ardiacos Strabonis lib. 7. Item apud Tacitum lib. 13. *Nerone imperante inter Hermunduros, Cattoſque certatum magno proelio, dum flumen gignendo ſale foecundum, & conterminum vi trahunt.*

Poëtae principi cur dictum Α'λὸς θειόιο, paene dictum eſt primore pagella: aliquidne celſius, aut ratio diuinior? Leuitici c. 2. Πᾶν δῶρον· θυσίας ὑμῶν ἁλὶ ἁλισθήσεται· οὐ διαπαύσατε ἅλας διαθήκης κυρίου ἀπὸ θυσιασμάτων ὑμῶν. Vulgata: *Quidquid obtuleris ſacrificij, ſale condies, nec auferes ſal foederis Dei tui de ſacrificio tuo.* Huius loci myſticam interpretationem ex Macarij Aegyptij hom. 1. pono Latine, leuior ſit vt lectio: *Vos eſtis ſal terrae*, inquit Dominus. *Terram hominum animas vocans. Nam animis hominum coeleſte Spiritus Sal ſubminiſtrauerunt, eos condientes, incorruptos, & immunes a foetore multo reddentes. Nam ſicut carnes, ſi Sale carent, putiſcunt, ac foetore multo replentur, & in carnem putentem vermes ſubrepunt, ibi ſtabulantur, pabulum ſumunt, latebras habent: vt vero Sal inſperſum fuerit, tolluntur, pereuntque, qui inibi vermes paſcitabant, & odor foetens vaneſcit. Nam Salis natura vermes interimendi vim potitur, & foetorem abigendi: Eodem*

Eodem modo anima quaeuis, quae Spiritu S. condita non fuerit, experſq́ coeleſtis fuerit Salis, hoc eſt, quae virtutis diuinae particeps minime fuerit, putiſcit, & cogitationum nequiorum foetore multo adeo repletur, vt ab hac cogitationum vanarum, & tenebricoſarum, & paſſionum in eiuſmodi anima habitantium graueolentia Dei vultus diuertatur, mali, diriq́ vermes, ſeu nequitiae ſpiritus, & virtutes tenebrarum in ipſa inambulent, in ipſa habitent, latibulum habeant, repant, ipſam corrodant, & corrumpant. Putruerunt enim, inquit, *& corruptae ſunt cicatrices meae. Statim vero vt ad Deum refugerit, crediderit, vitaeq́ Salem poſtulauerit bonum illum, & amicum homini Spiritum, tunc aduentans coeleſte Sal, vermes illos diros interimit, vaneſcit graueolentia, ſuaeq́ virtutis efficacitate perpurgat ipſam: & ſic vbi ſana, & incolumis a vero Sale euaſerit, in vſum, miniſteriumque coeleſti domino cedit. In Lege idcirco exemplo hoc vtebatur Deus, iuſſo omne ſacrificium Sale ſaliri.* Paria congerit idem Macarius hom. 24. Ὥσπερ ἐὰν ἡ κρέα, καὶ πᾶσαν μὲν αὐτῆς ἐπιμέλειαν ποιήσεταί τις, μὴ ἁλίσῃ δὲ ἅλατι τῷ τῆς σκωλήκων ἀναιρετικῷ, καὶ δυσωδίας ἀφανιστικῷ, ὄζει, καὶ σέσηπται τὰ κρέα, καὶ ἀχρήσιμα γίνεται τοῖς ἀνθρώποις. Reſtantia perlegat, cui volentia.

CAP. XI.

Vtrum Sicilia cum Italia vniter iuncta vnquam fuerit? an poſt diſcreta?

FAmigeratam de Siciliae ab Italia diſtractionem vanis coniecturis infirmare Valgarnera molitur, cuius veſtigia recalcat Cluuerius lib. 1. de Sicilia c. 1. totuſque in eam propendet opinionem: etſi arbitrandi poteſtatem cuique faciat, quod arbitrandi ius liberum ſemper fuit tam Caio, quam Titio. Ac profecto, ſi vera eſt Heracliti ſententia, quam pro vera refert Sex. Empiricus libro aduerſus Mathematicos: Ὅθεν τὸ μὲν κοινῇ πᾶσι φαινόμενον, τοῦτ' εἶναι πιστόν· τῷ κοινῷ γὰρ, καὶ θείῳ λόγῳ λαμβάνεται· τὸ δὲ τῷ μόνῳ προσπίπτον, ἄπιστον ὑπάρχειν διὰ τὴν ἐναντίαν αἰτίαν: *Vnde quod omnibus communiter videtur, hoc eſſe credibile: accipitur namque vt commune verbum, ac diuinum: quod autem vni ſoli incidit, ob cauſam contrariam eſſe minus credibile.* Si hoc, inquam, verum, vti eſt, prudentiae fuerit pluribus haerere potius adſertoribus, quam vni, alteriue ſubdubi-

dubitanti, & conſultae mentis fuerit librato examine, quid in hoc negotio verum ſit, anquirere. Age vero κίλευθον πᾶζαν λεπανία.

Etſi omnis ſoli vitium eſt male cohaerere, & ex pluribus cauſis reſolui Senecae lib. 6. qq. Natural. peculiare tamen eſt ſoli Siculi, atque ex cauſis peculiaribus. Expenſo igitur Siculae telluris ingenio prodet ipſa ſe diſtractionis cauſa, facilitaſque. Hoc vero neque clarius, neque vberius Iuſtino quiſquam expinxit lib. 4. *Eſt autem ipſa terra tenuis, ac fragilis; & cauernis quibuſdam, fiſtuliſque, ita penetrabilis, vt ventorum tota ferme flatibus pateat: necnon & ignibus generandis, nutriendiſque ſoli ipſius naturalis materia: quippe intrinſecus ſtratum ſulphure, & bitumine traditur: quae res facit, vt ſpiritu cum igne inter interiora luctante, frequenter & compluribus locis nunc flammas, nunc vaporem, nunc fumum eructet. Inde denique Aetnae montis per tot ſecula durat incendium. Et vbi acrior per ſpiramenta cauernarum ventus incubuit, arenarum moles egeruntur.* Haec Iuſtinus, & plura, ex quib. delibauit Iſidorus Hiſpalis l. 14. c. 6. de Sicilia: *Cauernis tamen, & fiſtulis penetrabilis, ventiſq; & ſulphure plena.* Ariſtoteles quoque talem Siciliae tradit indolem l. 2.

 Meteo-

Meteorol. c. 8. cui illa χαρὰ σομφὴ, καὶ ὕπαντρος audit, *regio fungoſa, & cauernis impoſita.*

Hoc eſto fundamentum diſiecti, quo Sicilia Italiae adhaeſit, interualli terrei, quod quo fuit anguſtius, tanto in ruinam pronius. Idem Iuſtinus: *Siciliam ferunt anguſtis quondam faucibus Italiae adhaeſiſſe, diremtamq́ue velut a corpore maiore impetu ſuperi maris, quod toto vndarum onere illuc vehitur.* Adiuuit & grauior maris impetus,

——— Cum flens Siculos Oenotria fines
Perderet, & medijs intrarent montibus vndae.

Vnde verum patuit illud Iobianum: *Mons cadens defluit.* Tunc, tunc *Rheginae* locus regioni, nomenque factum, cum promontorium, & obſtantia quaeque perrupta vi diluuionis, ventorum furijs, maris vi, tremefactae terrae coniuratione, ac Deo Maximo res pro nutu, cum collibitum, innouante. Hoc tamen a Flacco adfirmatum ait Cluuerius *inepte, abſurde, ridicule;* cui tandem ſic vale dicit: *Apage ſis cum nugis iſtis immanibus.*

Dices cum iſto Siculae telluris ingenio quodammodo terrae tremorem non ſatis cohaerere: caua namque, & inſolida minus tremunt. Reſponſat Strabo lib. 6. Τότε δὲ πάντων ἐμπεφραγμένων τῶν εἰς τὴν ἐπι-

φάνειαν

φάγειαν πόρων, ὑπὸ γῆς συνεχόμενον τὸ πῦρ, καὶ τὸ πνεῦμα σεισμοὺς ἀπειργάζετο σφοδρούς: *Olim cum eſſent omnes exitus, qui foras ſpectarent, oppilati, ignis, & ſpiritus ſub terra cohiberi, vehementes terrae motus ediderunt.* Tremuit ergo terra haec, cum in partes lacerata eſt.

Rhegij nomenclatio ipſa ambarum terrarum indicat diuortium. Strabo lib. 6. Ὠνομάσθη δὲ Ῥήγιον, εἴθ' ὥς φησιν Αἰσχύλος διὰ τὸ συμβὰν πάθος τῇ χώρᾳ ταύτῃ· Ἀποῤῥαγῆναι γὰρ ἀπὸ τῆς ἠπείρου τὴν Σικελίαν ὑπὸ σεισμῶν, ἄλλοι τε, κἀκεῖνος εἴρηκεν.

Ἀφ' οὗ δὴ Ῥήγιον κικλήσκεται. Interpres: *Nomen Rhegio ait eſſe Aeſchylus ab eo, quod iſti accidit regioni: terrae enim motibus Siciliam a continente abruptam cum alij, tum ille affirmauit: & nomen a verbo* ῥήγνυσθαι, *quod eſt, Rumpi deductum.* Interpres alter Iuſtinus: *Proximum Italiae promontorium Rhegium dicitur: ideo quia Graece Abrupta hoc nomine pronunciantur.* Feſti verbum: *Rhegium ... a rumpendo.* Caſſiodorus lib. 12. *Rhegienſes ciues vltimi Brutiorum, quos a Siciliae corpore violenti quondam maris impetus ſegregauit: vnde ciuitas eorum nomen accepit: diuiſio enim* ῥήγιον *Graeca lingua vocitatur. Violenti maris?* Dic in id Maria gemina conſpiraſſe. Tertullian. de Pallio: *Italiae quondam latus Adria, Tyrrhenoq; quaſſantibus medio tenus interceptum*

 reli-

reliquias Siciliam fecit. Diodorum iunge lib. 4. Τὸν ἰσθμὸν κατὰ τὸ στενότατον ὑπὸ δυοῖν πλευρῶν θαλάττης προσκλυζόμενον ἀναρραγῆναι, καὶ τὸν τόπον ἀπὸ τούτου Ῥήγιον ὀνομασθῆναι. Interpres: *Qua parte Iſthmus in arctum maxime conſtrictus a duobus vtrimque lateribus alluitur, diſruptus fuit, & locus inde Rhegij cognomentum tulit.* Cauſam a nobis praemonſtratam attexit: *Alij magnis terrae concuſsionibus factum aiunt, vt ceruice illa continentis perfracta fretum, quo continens ab inſula maris irruptione diuulſa eſt, induceretur.* Haec Diodorus. Cate Seneca: *Frequentiſsime mari oppoſita vexantur.* Sicilia Adriatico, Tyrrhenoque praeiacet. Hinc illi queſtus. Denique Strabo lib. 6. de Siciliae locis, Ἀναρραγέντες ἐδέξαντο τὴν ἑκατέρωθεν θάλασσαν, καὶ ταύτην, καὶ τὴν μεταξὺ τῶν ἄλλων νήσων τῶν ταύτῃ, *Perrupti*, inquit, *vtrumque mare admiſerunt, tum hoc, tum quod ibi eſt inter reliquas inſulas.* Idem Caſſiodorus praeter extraneam iſtam marini impetus cauſam confert intimam, & domeſticam: *Eſt enim montanis lapillis terra rariſsima, arida paſcuis:* quare & perrumpi facilior.

Vtriuſque ſoli rupturam, & hiatum alij terrae ſuccuſſioni tribuunt. Etymologus: Ῥήγιον, πόλις Σικελίας· ἐπειδὴ σεισμοῦ γενομένου ἀπετελέσθη τὰ ἐκεῖ ῥαγέντος τόπου ἐκείνου: *Rhegium Siciliae vrbs: nam loco ſoli quaſſatione dirupto*

dirupto ea patrata ſunt. Cogantur cuncta. Terra Sicula Iuſtino *Tenuis*, Caſſiodoro *Rariſsima*, Ariſtoteli *Cauernoſa*, *fiſtuloſa*, ex Strabone agnoſcitur *Non ſolida*: eiuſmodi terram quaſſatio mouet, ventus emouet, maria dimouent, ignes, ſulphur ſpiritus commouent: vniuerſa frangunt. Atque vt nulla tam eſt firma ratio, quam ingenij humani contumacia non ſuccutiat, dicam cum Saluiano Maſſilienſium Epiſcopo: *Neque rerum cunctarum cauſas penitus ſapientes perſpectas habent.* Portum nihilominus Veri proxime noſtra tetigit carina.

Hanc cauſam a maledicto, & falſo vindicent auctores ſui, qui ſumma Antiquitatis conſenſione Siciliam ab Italia diſtulere. Tertullianus in Apologetico: *Vis vndarum Lucaniam Italiae abſciſſam in Siciliae nomen relegauit.* Plinius lib. 2. c. 8. *Sicilia quondam Brutio agro cohaerens mox interfuſo mari auulſa.* Nec multis interſitis: *Ab hoc dehiſcendi argumento Rhegium Graeci nomen dedere opido in margine Italiae ſito.* Ex eo Solin. c. 11. Mela lib. 2. c. vlt. *Sicilia, vt ferunt, aliquando continens, & agro Brutio annexa: poſt freto maris Siculi abſciſſa eſt.* Neque ex ijs verbis: *Vt ferunt*, dubioſam Melae mentem adſcribi ab aduerſarijs par fuit. In rebus certiſſimis, cognitiſſimiſq. ea Auctores vtuntur formula.

Sallu-

Salluſtius conſtanter allegante Seruio: *Italiae Siciliam coniunctam conſtat fuiſſe.* Seneca locis compluribus, ac diſertim Natural. qq. lib. 6. c. 29. *Sic hac inundatione; quam Poëtarum maximi celebrant, ab Italia Sicilia reiecta eſt.* Addo Strabonem lib. 6. Thucydidem lib. 6. Diodorum lib. 5. Innocentium III. lib. 1. de Contemtu Mundi, Iuſtinum, Iſidorum, Senecam, Caſſiodorum, Martian. Capellam, Maronem Aeneide tertia, Silium Italicum lib. 14.

Auſoniae pars magna iacet Trinacria tellus,
Vt ſemel expugnante Noto, & vaſtantibus vndis
Accepit freta coeruleo propulſa tridente.
Namque per occultum caeca vi turbinis olim
Impactum pelagus laceratae viſcera terrae
Diſcidit: & medio perrumpens arua profundo,
Cum populis pariter conuulſas tranſtulit vrbes.

Ouid. Metam. 15. Papin. l. 3. Dionyſius Afer, Claudianus lib. 1. de Raptu Proſerpinae

——— Trinacria quondam
Italiae pars vna fuit: confinia Nereus
Victor, & abſciſſos interluit aequore montes,
Paruaq; cognatas prohibent diſcrimina terras.

Nota *Parua diſcrimina*: ſic Iſidorus inante: *Haec ab Italia exiguo freto diſcreta.* Quo de Freto Varro:

Inter

Inter Siciliam, & Italiam, qui eſt fretus inter Rhegium, & Meſſanam. Quid accumulem? Neque Latij, neque Helladis auctor vllus Siciliam ab Italia diuulſam inficiatus eſt. Commentum hoc fabricata eſt Valgarnerae praepropera curioſitas, qua delinitus curioſitate Cluuerius putauit Lectori delicias facturum ſe, ſi picem eandem tractaret.

Hoc inſuper geminarum diſcidium terrarum pares narrationes credi volunt. Plinius lib. 2. c. 88. *Auellit Siciliam Italiae, Cyprum Syriae, Euboeam Boeotiae, Euboeae Atalantem, & Macrin, Beſbycum Bithyniae, Leucoſiam Sirenum promontorio.* Seneca retro: *Sic & Hiſpanias a contextu Africae mare eripuit.* Ferreolus Locrius MARIAE AVGVSTAE lib. 2. c. 29. *Dordracum cohaeſit olim Brabantiae: anno vero MIDXXI. inſula facta eſt quatuor fluminum a continenti eam abrumpentium concurſu.* Et vos, o iſti, neuultis Adriam, & Etruſcum mare praepotuiſſe quatuor fluminibus? Idem Locrius: *Aquiſcinctus olim inſula teſte Sigeberto in Chronicis.* Multaq. inibi ſunt ingenij paludoſi veſtigia. Vidimus non ſemel. Genebrardus: *Euboeam abſorptis terrae faucibus Boeotiae per mare ademit, Siciliam Italiae,*

Digitized by Google

Hiberniam Britanniae, terram iunctam Acarnaniae in ſinum Corinthiacum vertit, Holandiae, Zelandiaeq́ pars magna in aquam defluxit. Denique haec ſunt Apuleij lib. de Mundo: *Namque immodicis tremoribus terrarum diſsiluiſſe humum, & interceptas vrbes cum populis ſaepe cognouimus.* Pauxillo poſt: *Illas etiam quae prius fuerant continentes, hoſpitibus, atque aduenis fluctibus inſulatas: alias deſidia maris pedeſtri acceſſu peruias factas.* Quibus lib. 1. c. 1. fidem praeſtruximus.

Obices modo perrumpendi, quos nouitas ex pumicibus conflatos, nec ſatis acri ſole duratos objicit. Valgarnera maioribus interuallis diſterminatam retur ab Italia Siciliam, quam vt inter ſe olim cohaeſerint, & concatenatae fuerint. Futile. Quantus Athos, quam immanis Taurus, quantus Caucaſus, quam ampla terrarum plana, quorum omnium metae quam vaſtis, quantiſque connexantur interuallis? Oſſa, & Olympus vniter apti olim cohaeſerunt, neque duo fuere multorum opinione Senecae teſtimonio lib. 6. Quae omnia quantumcumque vaſta, aut proſcindi potuere, aut proſciſſa ſunt. Quid quod mundus ipſe ſecum congruit, & cohaeret, interimque vaſtitas eius prope in immenſum fertur? Nihil vt officiant XX. aut XXX.M.P.

quo

quo minus Sicilia, Italiaque compaginentur, aut olim cohaeſerint. Ante quoque, à nobis qui teſtimonium dixere, Claudianus *Parua* poſuit has intet *diſcrimina* terras, *Exiguumque fretum* menſus eſt Iſidorus: quorum ex ſententia quod puſillum eſt, Valgarnerae videtur ingens, ac, promere ſi auſit, prope infinitum ſpatium. Idque interuallum modo *Fauces*, modo *Ceruix* nominatur, quae rei pumilae ſigna ſunt.

Repugnat: nec impigre. *At minores toto orbe ſpectantur paeninſulae, maioreſue, quarum iſthmi vel anguſtiſſimi, tamen neque fluctibus alluentis vtrimque maris, neque terrae aliquo motu, neque diluuij aquis vnquam conuerti in inſulas potuere.* Contra pertendo. Aliqui paeninſularum iſthmi etſi perrupti non ſint: perrumpi tamen potuere omnes latiores, arctiores, ſolidiores. Ecquis enim hoc adimat terrarum quaſſationi, maris violentiae, ventorum furijs, ſummae Dei voluntati? Ζεὺς γὰρ καὶ ἔθηκε νῆσον, εἰκ' ἐβούλετο, inquit oraculum. Neq. vero humanas vires, induſtriamue exit iſthmorum perfoſſio, aut diſtractio. Neq. qui tétarunt perfodere, rem tentarunt impoſſibilem. Qui autem id conati ſint perficere, docebit te Plinius lib 4 c. 4 Quod autem Plinius Demetrium dicat infauſto incoepto, & exitu conatum iſthmum Corinthium perſcindere,

 neque

neque Demetrius incoeptum remiſit quod ἀδύνατον, neque id Plinius adſeruit: ſed cauſam è Strabone didicimus l. 1. quod audito Mathematicorum conſilio ne Aegina, inſulaeque vicinantes diluuio peſſum irent, & nauigatio inutilis fieret, ab incoepto reſiluiſſe. Quaerendum igitur Valgarnerae fuit, cur iſthmi Peloponneſi, & Cherſoneſi Thraciae, haut latiores XL. ſtadijs, ſiue P. M. V. non ſint ſciſſi: non cur *non potuerint*. Cur Tauricae Cherſoneſi in Sarmatia iſthmus praedictis iſtis etiam anguſtior, etiamnum durat?

——— Θεῶν ἐν γούνασι κεῖται:

Dei in poteſtate ſitum, & cognitione: humana claudit hic ſapientia, cui quaedam neſcire profiteri, ſapientiae pars non poſtrema, quod e Saluiano praenotauimus.

Quaerit porro, An vna ſola Sicilia per XX. M. iſthmo Italiae connexa fatum hoc pati debuit, ceu fragili conſtans vitro. Reſpondeo primo, ſi quidquid non eſt vitrum fragile, frangi non poteſt, frangi profecto nil poteſt, ne quidem intyba quae dulciſſimis fibris in Sicilia nobilitat Caſſiodorus Variar. l. 12. quae praecinctae folijs tortuoſis calloſa teneritudine conglobantur: vnde *in morem vitri aliquid decerptum frangitur, dum a foecundo ceſpite ſegregatur*. Terras vero, earum motionem, aut rupturam

Maro: *Amaris intyba fibris.*

cum

cum fragili vitro componere, hoc loco, incongruum eſt, &, quem contra diſputes, deludificare. Neque iſthmorum integritatem, aut ſectionem fatis adſcribi placet.

Quaeſtionem ingeminat, Cur non earumdem vndarum dira, violentaque alluuione portus Meſſanenſis diſiectus ſit? Quaerendi anſam praebuerat Varro, ſi meminiſſet hic nouator, cui Siciliae fretus Rhegium, & Meſſanam intercurrit. Reſponſo, Alluuionis iſtius quamuis torrentiſſimae impetus, procurſuſue alicubi ſiſti debuit: nec enim eius fuit infinita vis. Καὶ γὰρ ἡ τοῦ ποταμοῦ βία παύεται, inquit lib. 1. Strabo: *Etenim fluminis vis definitur*: & maris, & tempeſtatis, & rerum omnium. Superiori Iulio torrentem, qui altius intumuerat, enauit equus meus: duabus horis poſt vndis iam fluxis, amicus meus abſque vlla difficultate eadem equum inegit more ſolito.

Importuniſſime vero Iſaiae verba de Idolis perſcripta portui Meſſanenſi admouentur.

Abyſſum freto Rhegino, ſeu Meſſanenſi tribuit Valgarnera: alij minime. Si ingentem freti altitudinem intelligit, non abnuo. Sed tunc hiatum aquarum capacem tam alte aperiri poſſe violentiſſima ruptione quis neget?

Digitized by Google

Agnoſcit hic manum Dei omnium rerum potētis: & nos. Nam omnium huius mundi rerum facillima eſt illi conuerſio. Et vero cum vtrimque rupes, velut clauſtra, obuerſentur, omnem vim recurſantium medio aquarum altius, atque altius profunda ſubrui, ſuffodique neceſſe fuit, in fundum ſiquidem tota illa immanis aquarum vis effundebatur, quae a rupibus repulſabatur.

In Valgarnerae obiectionibus tam leue momentum eſt, cum vt vix, aegreque a contradictione liberem. Haec mihi vide. *E mari enatas inſulas haud equidem negauerim*, inquit: *quando eodem modo vniuerſa terra emerſit*. Et poſt pauca: *At poſt conditum denique, exornatumq́, mundum vi quadam terrae motuum coepiſſe inſulas aliam ſubinde, atque aliam e mari apparere minime concedo.* Vide, *Minime concedo*, *Haut negauerim*, haec ſunt: *Nego*, *Conceſſerim.*

Neque vero neges, & concedas oportet. Cycladum inſularum periodo *Thera*, & *Theraſia* concluduntur. *Theramene* pro *Theraſia* ſupponitur Iuſtini lib. 30 Eſt enim eiuſdem compoſiturae, cuius *Sacrauia*, *Sacrauienſes* Plinio, quaſi Θἱερα σία. Seneca lib. 6. qq. Natur. c. 21. *Theraſiam noſtrae aetatis inſulam* [non a mundi primordio] *ſpectantibus*

nautis

nautis in Aegaeo mari enatam quis dubitat, quin in lucem ſpiritus vexerit? Contempla *Theraſiam ſpiritu vectam*, & aliena vi loco dimotam emerſiſſe. A pulcerrimo, & peregrino ſpectaculo nomen nouum poſitum docet Plinius lib. 4. c. 12. *Thera cum primum emerſit, Calliſte dicta: ex ea auulſa poſtea Theraſia, atque inter duas enata mox Automate* [quia *Sponte*, non humana ope, aut arte prodierit, vocabulum ortum eſt] *eadem Hiera: & in noſtro aeuo Thia iuxta eandem Hieram nata.* Scripſerat retrorſum lib. 2. c. 87. *Inter Cycladas Olympiadis CXXXV. anno quarto Thera, & Theraſia. Inter eaſdem poſt annos CXXX. Hiera, eademque Automate. Et ab ea duobus ſtadijs poſt annos CX. in noſtro aeuo M. Iunio Syllano, L. Balbo Coſſ. ad VIII. Idus Iulias Thia.* Mirum vt ſit Mela lib. 2. c. 7. connumeratis Cycladibus tredecim, *Theram*, atque *Theraſiam* tacuiſſe. *At, cum primum emerſit, Calliſte dicta eſt.* Alterum igitur nomen recentius. Callimachus diſertim in Epigrammatis:

Καλλίςη τὸ πρόσθεν, τὸ δ᾽ ὕςερον οὔνομα Θήρη.

Calliſte fuerat: renouato nomine Thera eſt.

Herodotus lib. 4. Ἐν δὲ τῇ νῦν Θήρῃ καλευμένῃ νήσῳ, πρότερον δὲ Καλλίςῃ τῇ αὐτῇ ταύτῃ. *In inſula There vocata, eademq;*

eademq; ipſa prius Calliſte. Apollonius exeunte l. 4. Argonauticon :

> Εὔφημος βῶλον δὲ θεοπροπίῃσιν ἰανθεὶς
> Ἧκεν ὑποβρυχίην· τῆς δ' ἐκτοθι νῆσος ἀέρθη
> Καλλίστη παίδων ἱερὴ τροφὸς Εὐφήμοιο.

Poſtilla: ——— Αὐτεσίωνος ἐῢς πάϊς ἤγαγε Θήρας
> Καλλίστην ἐπὶ νῆσον· ἀμείψατο δ' οὔνομα Θήρης Ἐξ ἕθεν —

Haec ſunt : *Euphemus , glebamque vaticinijs laetatus miſit ſubmerſam, éque hac inſula ſuborta eſt Calliſta , liberorum ſacra nutrix Euphemi.* Poſtilla : *Auteſionis bonus filius duxit Theras , Calliſtam in inſulam , permutauitq; nomen Therae ex ſe.*

Automate vero has inter duas quando , & qui enata? Iuſtinus lib. 30. *Eodem anno* [quo Philippo duum menſium induticae ſunt a Romanis datae] *inter inſulam Theram , atque Thera*[illegible] *medio vtriuſque ripae , & maris ſpatio terrae* [illegible]*tus fuit.* Quid poſtea ? *In quo cum admiratione nauigantium , repente ex profundo cum calidis aquis inſula emerſit.* Conuenit de tempore cum Plutarcho libro de defectis oraculis : Τὰ περὶ τὴν νῆσον πάλιν , ἣν ἀνῆκεν ἡ πρὸ Θήρας , καὶ Θηρασίας θάλασσα , καὶ περὶ τὸν Φιλίππου , καὶ Ῥωμαίων πόλεμον : *Quae circa inſulam accidere rurſus , quam ante Theram , Theraſiamque edidit mare circa*

Philippi

Philippi bellum, & Romanorum. Liuius lib. 49. *Nunciatumq́ erat haut procul Sicilia, inſulam, quae ante fuerat, nouam editam e mari eſſe.* Explicatius Plutarcho Iuſtinus: tempus deſignauit.

Pertexamus Plinij telam lib. 2. capp. 86. 87. *Naſcuntur & alio modo terrae, ac repente in aliquo mari emergunt, veluti paria ſecum faciente natura, quaeq́ hauſerit hiatus, alio loco reddente. Clarae iampridem inſulae Delos, & Rhodos memoriae produntur enatae. Poſtea minores, vltra Melon Anaphe: inter Lemnum, & Helleſpontum Nea: inter Lebedon, & Teon Alonae: inter Cycladas*, & caetera prius occupata. De Rhodo teſtatur etiam Aelianus in Politijs: Ῥόδον τὴν νῆσον τὸ παλαιὸν κεκρύφθαι λέγουσιν ὑπὸ τῆς θαλάσσης, ἀναφανῆναι δὲ ὕστερον ξηρανθεῖσαν. *Rhodum inſulam olim ſub mari latuiſſe ferunt, ac deſiccato loco apparuiſſe.*

Verum diſcedit a Plinio Euſebius, niſi peccant numeri. Refert enim in annum quartum CV. Olympiadis. Aut largiter peccatum eſt: aut bis merſa, bis emerſa Thera (quod Delos πέπονθε) ſemel ſcilicet tempore a Plinio obſeruato, & ab Herodoto indicato: alias alio ab Euſebio, & Seneca prodito. Strabo lib. 1. Interpretis ore: *Nam medio inter Theram, & Theraſiam loco e mari flammae emicuerunt per dies quatuor, adeo vt totum*

ferueret, atque arderet mare: eaeque paulatim elatam velut inſtrumentis quibuſdam, atque e maſsis compoſitam inſulam ediderunt. Hiſcene *Automate*, an *Thia* deſignatur? Philoſtratus lib. 4. vitae Apollonij: Cum vehementi motu concuſſa fuiſſet Crete, tonitrua de ſolo audita, mare quoque ad ſeptem fere ſtadia receſſiſſet, multorumque, ne ceſſione maris templum conuelleretur, ipſiquemet abriperentur, metus eſſet: Νῆσος ἐκ τῆς θαλάττης ἀνεδόθη περὶ τὸν πορθμὸν τὸν διαῤῥέοντα Θήραν τε, καὶ Κρήτην: *Inſula ex mari edita eſt ad traiectum, qui Theram, Theraſiamque praefluit.* Tot, tamque nobiles inſulas ex alto ſurſum euaſiſſe tot teſtificantibus ſcriptoribus negent, quibus caput e fungino genere eſt.

Valgarnera nondum ceſtus exuit: declinatione leuicula plagam auertamus. *Licet ad iſtum modum*, inquit, *parua aliqua inſula ſit facta: tamen minime ſequitur idem de reliquis inſulis omnibus eſſe ſtatuendum.* Prope te adſequor. Non id vniuerſim de omnibus dicimus, ſcimuſque cum mundi natalibus inſulas enatas non paucas. Verum recte concludenti, ἐκ τῶν προηγουμένων inferendum fuerat: *Non idem ſequitur de maiore, aut de maioribus:* non, *Idem de reliquis omnibus eſſe ſtatuendum*, quod negito: tuque mecum: Ais enim: *Eodem modo vniuerſa*

terra

terra emerſit. Addo: Et vniuerſa terra inſula eſt, ac permanſit: eſt enim inſula, primoribus vti paginis explicatum eſt. An quia de terra vniuerſa hoc inficiari non poterat, ad abſurdam ſequelam confugit de omnibus cunctim inſulis, cum ad maiores via praeſtrata fuiſſet? An naturae, aut Deo naturae parenti tam acciſa eſt poteſtas, vt ingentem inſulam in auras euehere nequeat? Quae maior inſula terrae globo, quem circum oceanus late funditur? Addat ſe mihi ſocium Geographus lib. 1. diſertiſſime contra niſus Valgarnerae: Οὐ γὰρ μύδροι μὲν ἀνενεχθῆναι δύνανται, καὶ μικραὶ νῆσοι, μεγάλαι δ' οὔ: *Non enim*, inquit, *diſci, ſurſum ferri poſſunt, & inſulae puſillae: maiores vero non poſſunt*, quod Straboni ἄτοπον eſt. Et quanquam Sapienti magnum, & pumilum comparatione diſcernuntur: tamen colludamus, & Siciliam inter, Italiamque ingentem faciamus interſtitionem: huic tantae plagae medebitur Seneca lib. 6. vbi de aquis: *Tunc demum impetum ſumunt, cum illas agit flatus: qui poteſt diſſipare magna ſpatia terrarum* [puta Siculae, & Italicae] *& nouos montes ſubiectos extollere, & inſulas non ante viſas in medio mari ponere*. Addo ex eodem montes ſpatioſos, ingentia promontoria vi fluminis alicuius demoueri, atque proſterni. *Cumque Danubius iam non radices, nec*

media montium ſtringit : ſed iuga ipſa ſolicitat ferens ſecum madefacta montium latera, rupesque deiectas, & magnarum promontoria regionum, quae fundamentis laborantibus a continente receſſerunt. Vis ſimile? Quanta, quanta eſt Aegyptus, olim fuit arida: prius e Seneca monſtrauimus: nunc ex Ariſtotele dicimus l. 1. c. 14. Meteorol. Τούτων ἡ χώρα πᾶσα γεγονυῖα φαίνεται, καὶ οὖσα τοῦ ποταμοῦ ἔργον : *Horum Aegyptiorum regio tota eſt, videturque fluminis Nili opus* : Herodotus vocat *Donum*. De Maeotide tantundem ſcribit.

Obiectat gentium ſapientibus inuiſa ἀγιόγραπτα Valgarnera Quid poſtea? Neque eos vidiſſe omnia. Do, Siciliam ab Italia diſterminatam res vna eſt ; non *Omnia*. Neque etiam Scripturae peritiſſimi viderunt *omnia* : Neque ipſus Valgarnera :

——— Θεοὶ δέ τε πάντα ἴσασι,

non mortales, quorum incertae ſunt prouidentiae, incertae cognitiones, & curtae. Neque ſacrae literae huic narrationi, aut opinioni quidquam officiunt.

Imo longe abſurdiſſimum, quod innuit Valgarnera, nullam a mundi initio terra, marique mutationem inuectam eſſe.

O! *quantum eſt ſubitis caſibus ingenium*, & fortuitis? Audi, audi Senecae ſapientiam lib. 6. qq. Nat.

Nunc

Nunc amnes magnitudinis notae conuertat introrſus, nunc nouos exprimat humus, aperiat aliquando aquarum calentium venas, aliquando refrigeret, igneſq; nonnunquam per aliquod ignotum antea montis, aut rupis foramen emittat, aliquando notos, & per ſecula nobiles comprimat. Mille miracula mouet, faciemque mutat locis, & defert montes, ſubrigit plana, valles extuberat, nouas in profundo inſulas erigit. Nega mutationem omnem terra, marique. Ait autem de inſulis: *Quae non niſi a Deo* [paene recte] *vna cum reliquis terris a principio mundi fuere condita.* Peſſime, ἀπεριβλέπτως. Contra ſacri codices ipſi ab orbe conditam mutationem crebram in tanta rerum vniuerſitate agnoſcunt, depraedicantque illuſtriſſimis verbis. Iobi c. 14. *Quomodo ſi recedant aquae de mari, & fluuius vacuefactus areſcat.* Ibidem: *Mons cadens defluit, & ſaxum transfertur de loco ſuo*, hoc eſt, Rupes. Item: *Alluuione paulatim terra cōſumitur.* Apuleius de Mundo: *Terrena omnia mutationes, & conuerſiones, poſtremo interitus habēt.* Adde, Diluuij torrētioris impetu terra celeriſſime cōſumitur, vt id omne terrae, quod Siciliā, & Italiam interfuit, cum bina maria interfurerent, ac immani motu pulſata, ſaepiuſque tellus pulſata eſt. Ioſue c. 5. *Quod ſiccaſſet Dominus fluenta Iordanis.*

Iſaiae 8. c. *Diripuerunt flumina terram eius.* Cap. 19. *Areſcet aqua de mari, & fluuius deſolabitur, atque ſiccabitur. Et deficient flumina: attenuabuntur, & ſiccabuntur riui aggerum.* Cap. 42. *Deſertos faciam montes, & colles, & omne gramen eorum exſiccabo: & ponam flumina in inſulas, & ſtagna arefaciam.* Non igitur, Valgarnera, omnia in ſuo primigenio ſtatu a conſtituto mundo perſiſtunt: tibique recte cecidit, quod Gentilium ſcriptoribus Scriptura minime fuit familiaris: eius enim luce oculorum tuorum aciem perſtrinxiſſent. Tu cum tanta pugnas Auctorum mole, & cum diuinorum codicum maieſtate? Neque tibi ſatis fuere ſacri codices familiares; alioquin in precibus funditandis, agnoſſes illa pſalmiſtae regij pſ. 106. quibus mirifica rerum conuerſio Dei omnipotentia notificatur: *Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim. Terram fructiferam in ſalſuginem a malitia habitantium in ea. Poſuit deſertum in ſtagna aquarum: & terram ſine aqua in exitus aquarum.* Deſideras exemplum? Dabit Ariſtoteles lib. 1. Meteor. c. 14. ad Libyae Ammoniam: Δῆλον γὰρ ὡς ἐγχώσεως γενομένης, ἐγένοντο λίμναι, καὶ χέρσος· χρόνου δὲ γενομένου τὸ ἐναπολειφθὲν, καὶ λιμνάζον ὕδωρ ξηρανθὲν ἐστιν ἤδη φροῦδον: *Perſpicuum enim eſt, quod quia limum, aut quidpiam eiuſmodi aqua-*

Digitized by Google

aquarum vis intulit, ſtagna facta ſunt, & tellus arida, quodque inibi relicta, ſtagnanſque aqua ſucceſſu temporis adſiccata iam prorſus euanuit. Ac poſt pauca de Maeotide: Αὕτη ἔργον ἐστὶ τῶν ποταμῶν, καὶ τὸ τελευταῖον πᾶσαν ἀνάγκην γενέσθαι ξηράν: *Maeotis ipſa fluminum eſt opus, ac tandem aridam fieri eam omnino neceſſe eſt.* Vides *Exitus aquarum in ſitim.* Sic idem Sophus Ariſtoteles rerum mutationem adſtruit: Heroïcis temporibus Argos, quod paludoſa, paucos aluit: Mycenae contra terra nitens fuit, & alibilis: Ariſtotelis aeuo variantibus locorum conditionibus ſterileſcebat haec: laetior illa videbatur. Quid ſi Taciti producam illud lib. 13? *Cupreſſus arbor in agris Veſpaſiani conſpicua altitudine repente prociderat, ac poſtera die eodem veſtigio reſurgens procera, & latior virebat.* Prodigioſa mutatio! Natura quanto mutationi pronior?

Porro aliorum opinio a Strabone nec praetermiſſa, nec approbata *Rhegium* appellatum a voce Latina, quaſi *Regiam* dicas, διὰ τὴν ἐπιφάνειαν τῆς πόλεως, *Ob ciuitatis claritudinem*, & Διὰ τὸ τοὺς ἀρχηγέτας αὐτῶν κοινωνῆσαι Ῥωμαίοις τῆς πολιτείας, *quod eorum principes ciuitatis Romanae iure honorati fuerint:* vtrumque ſerius accidiſſe accurata temporum docet ſupputatio. Prius *Rhegij* nomenclatio nata: claritudo, iuſque

iuſque ciuitatis longa poſt temporum intercapedine. Ad Anaxilam prouoco, alioſque *Rhegij* tyrannos, quibus cum Romanis nihil commune. Neque Cluuerius huius appellationis rationem aliam contulit, neque comminiſci potuit.

Diodorus Siculus inter μυθολογικὰ τῶν παλαιῶν poſuit, aiunt. Idem Diodorus inter μυθολογικά libro quarto poſuit, quaecunque ex eo arceſſit teſtimonia Cluuerius, eodem telo confodienda ſint. Vt non omittamus Diodorum lib. 4. per παλαιάς μυθολογίας, *Antiquitates* ἁπλῶς intellexiſſe. Vellicat enim eos, qui neglexere: nullum autem in eo, qui Fabulas proprie, ac ludibrioſe dictas negligit, crimen haeret. Quid quod Diodori interpres ipſe Μυθολογίας *Antiquitates* vertit? Res monet, atque orationis analogia. Mox enim pro eodem Diodorus ponit τῶν ἀναγεγραμμένων ἀρχαιότης, & Ἀρχαιολογίαν, ſuique non immemor interpres Ἀρχαίας μυθολογίας *Rerum priſcarum tractationem vocat:* item Παλαιοὺς μύθους *Priſca.* Verum mox fidei parum videtur integer, cum transfert illa, Φασὶν οἱ παλαιοὶ μυθογράφοι, *Antiqui fabularum ſcriptores*. Quae mihi penſiora: ſunt enim attentiſſimi iuxta, doctiſſimique interpretis. Nam priſcis *Fabula* eſt verae hiſtoriae narratio. Spartianus in Peſcennio: *Nec alias fabulas vnquam habuit: niſi*

niſi de Annibale, caeteriſq; talibus. Quippe a *Fando Fabula* nomen habet. Aeque ambiguae ſunt vernaculae vocet, *Contes*, *Paroles*. Goropius Becanus in Cronijs ita loquitur: *Qui fabulas conſcripſerunt, id eſt, antiquam hiſtoriam.* Eſto denique verum hoc Diodori probrum, ſit fabularum textor, cur omni fere pagina velut infragili propugnaculo Diodori ſcriptis Cluuerius nititur? Vni viro fidem modo commodare, modo demere aut leuitatis eſt, aut volentis cuncta ſenſibus ſuis ſubmitti, ac parere.

Peruagantur vlterius ἐπηρωμέναι ζωαί illius. Heſiodus multis temporum paraſangis, atque adeo totis trecentis annis Aeſchylo ſuperior narrante Diodoro ait contrarium, Orionem ſcilicet in aperto mari aggeribus ſuperſtructis Peloriados excitaſſe promontorium. Pridem igitur aberat ab Italia Siciliae terrulentae ora. Non, non: verſa vice fabularum in claſſem tantiſper hoc ponimus, dum Orion vadimonium obeat ſedente pro tribunali Fazello Italorum literatiſſimo, & apparitoris ore Cluuerius adſtet, cauſam dicente Valgarnera, atque altrinſecus diſputante Dauſquio. Vera ſit a Diodoro narratio, veri Orionis labores iactati ſeculis retroſioribus, maximo nobis erunt praeſidio. Ante

Orionem nullus iſthmus Siciliam cum Italia colligabat, nullus agger: nihil igitur perrumpendum fuit, exſiſtentibus aquis viae, & vagationum liberis. Aliud vero longe eſt, ab Orione Peloriadem exaggeratam, aliud Siciliam ſuo iſthmo cum Italia congerminaſcere: eaque exaggeratio, ſiqua modo fuit, quantopere nos iuuat? Facilius enim aduentantibus fluctibus dirumpitur agger facticius, quam iſthmus natura poſitus, aut compoſitus. Idcirco Homerus Iliados ρ. de monte aquarum impreſſionibus inuiolato ita canit:

——— Ὥσπερ πρὼν ἰσχάνει ὕδωρ
Ὑλήεις, πεδίοιο διαπρύσιον τετυχηκὼς,
Ὅστε καὶ ἰφθίμων ποταμῶν ἀλεγεινὰ ῥέεθρα
Ἴσχει, ἄφαρ δέ τε πᾶσι ῥόον πεδίονδε τίθησι
Πλάζων, οὐδέ τί μιν σθένει ῥηγνῦσι ῥέοντες.

Haec ſunt: *Sicut mons auertit aquam ſiluoſus campi penetralia nactus, qui valentiſsimorum fluuiorum difficilia fluenta arcet, ſtatim autem omnibus fluxum verſus campum aberrare facit: neque montem quamuis violento fluxu rumpunt.* Commentantis manus: Τὸ δὲ Τετυχηκὼς πρὸς διαστολὴν οἰκοδομήματος. Nam manu poſiti montes pronius diuelluntur: natura poſiti firmiores ſunt, praeſertim inferne arborum radicibus iuti, & artuati, vnde Ὑλήεις Homero.

Neque

Neque tamen ex his confit montes alios minus denſos, aut firmos non ſuperari maiore amnium, aut aequoris vi: docet hoc omnis propemodum hiſtoria.

Denique telum ſuum Cluuerio remittamus. Quaerit alibi: *an Annibal per XVII. annos in Italia, maxime in Lucanis, ac Brutijs moratus ignorare potuerit Siciliam ab Italia diuulſam?* Requiro, *An tanta Scriptorum turma Italorum, Graecorum in Lucanis, Brutijſque nata, aut multis morata ſeculis ignorare potuit Siciliam ab Italia diuulſam?* An hanc illis omnibus ignorantiam impingit Cluuerius? qua fronte? Annibal autem, quem rei bellicae cura coquebat, ignorare non potuit, quod Cluuerij iudicio tam numeroſa Scriptorum turma, quorum eſt in hiſtoriae cognitionem incumbere legendo, ſciſcitando, per locos omne genus reptando, ſecum putando, reputando, ſcribendo, nomenque ſcriptoris, & veracis ambiendo, ignorauit?

Digitized by Google

CAP. XII.

De Atlantica diſputatio amphibola. An fuerit? Quae vaſtitas? An Libyae & Aſiae, aut Europae, aut Continentis? An merſa?

ATlanticam vaſtiſſimam inſulam, & orbis alterius paene inſtar, ſi dijs placet, vehementiſſima, atque ampliſſima ſoli ſuccuſſione, immenſaque vndarum alluuione merſam peſſum iſſe veteres prodidere non pauci: poſteritas reſpuit, fidem commodare dedignata. Et vero cum de Atlantica tractationem meditaretur Solon, & ex ijs, quae circa Saïn Aegypti a peritiſſimis quibuſque de ea inaudiſſet, rerum naturae latebras dimouere pararet, abſtitit: non quod otio non abundaret, ſed aetate ſenecta defectior, ac rei ſcribendae magnitudine deterritus, vt auctor eſt in Solone Plutarchus. Hi annuunt, alij abnuunt: partes ad certamen voco. Diſertiſſimi ſcriptor oris Philo Iudaeus libro de Mundi Aphtharſia: Ἡ δ' Ἀτλαντὶς νῆσος ἅμα Λιβύης,

Λιβύης, καὶ Ἀσίας μείζων, ἥ φησιν ἐν Τιμαίῳ Πλάτων, ἡμέρᾳ μιᾷ, καὶ νυκτὶ σεισμῶν ἐξαισίων, καὶ κατακλυσμῶν γενομένων δῦσα κατὰ θαλάσσης, ἐξαίφνης ἠφανίσθη, γενομένη πέλαγος οὐ πλωτόν, ἀλλὰ βαραθρῶδες. *Atlantis inſula Africa, Aſiaque coniugibus maior* (ſic in Timaeo affirmat Plato) *diem ſolidum immani concuſsione conquaſſata, & alluuionibus impar merſa mari derepente euanuit, & mare non nauigabile euaſit, & voratrinae ſpeciem induit.* Vides ſimul immanem magnitudinem, & infauſtiſsimam deſitionem, faciemque maris ineptiſſimi. Plato in Critia: Οἱ τῆς Ἀτλαντίδος νήσου βασιλεῖς, ἣν δὴ Λιβύης, καὶ Ἀσίας μείζω νῆσον οὖσαν ἔφαμεν ἀνά ποτε· νῦν δὲ ὑπὸ σεισμῶν δυσανάπορον πηλὸν τοῖς δὲ ἐνθένδε ἐκπλεῦσι ἐπὶ τὸ πᾶν πέλαγος, ὥστε μηκέτι πορεύεσθαι κωλυτὴν παρασχεῖν. *Atlantidis inſulae reges, quam olim Africa, Aſiaq; maiorem diximus: nunc vero concuſsionibus coenum imperuium ijs, qui hinc in vniuerſum mare vela faciunt, prohibitaque calcari eſt.* Vox illa Ἔφαμεν Timaeum reſpicit, in quo haec: Ἡ δὲ Ἀτλαντὶς νῆσος, ὡσαύτως κατὰ τῆς θαλάσσης δῦσα ἠφανίσθη· διὸ καὶ νῦν ἄπορον, καὶ ἀδιερεύνητον γέγονε τοὐκεῖ πέλαγος πηλοῦ κατὰ βραχέος ἐμποδὼν ὄντος, ὃν νῆσος ἰζομένη παρέσχετο. *Atlantis inſula ſimili ratione mari merſa euanuit. Quare nunc imperuium, & inueſtigabile inibi pelagus eſt breui tempore impediente luto, quod inſula deſidens obtulit.* Ex his Platonis ambitum

ſuum concinnauit Philo Iudaeus, ac Tertullianus de Pallio: *Libyam, aut Aſiam adaequans*. Spatioſiſſimam Atlanticae magnitudinem hanc credibilem facit Ioſephi Acoſta narratio lib. 1. c. 6. hiſtor. natur. vbi pro veriſſimo, atque indubitato adſerit ſub meridionali plaga terras porrigi aequata cum Europa, Aſia, & Africa magnitudine: etſi aliter ipſe ſentit c. 22. Marcellus Aethiopicorum ſcriptor decem inſulas in mari Atlantico fuiſſe commemorat, quarum longe maxima fuerit Atlantis Neptuno ſacra, reliquarum domina, talis ac tanta, qualem, quantamque tot locis adſerit Plato: hanç auitam traditionem poſteritati tranſmiſſam.

Proclo haud mirum videtur tantam inſulae molem aquis hauſtam ſolo tremente, cum paulo ante aeuum ſuum eadem ex cauſa Aegyptus, ac Bithynia (pro! quanta terrarum ſpatia!) die vno ſint ſuccuſſae. Neque miratur ſuccuſſionem hanc exceptam diluuio, cum terrae tremori diluuium comitetur: quod addita quoque ratione narrat Ariſtoteles. Nam cum ſpiritus, qui terram concuſſit, nondum in terram defluxerit, & contra mare ab aduerſo ſpiritu in ſe commotum ex aduerſo impactus fuerit, neque mare retrorſum protrudere potuerit, victus a vento valentius propellente aquas, ſiſtitur,

ſiſtitur, impeditque inſimul maris profluuium, cauſaque eſt, cur mare multum propulſum a contrario ſpiritu conferto fiat. Tunc, cum multum aduerſo impulſu creuerit mare, ipſe ſpiritus terram ſubit effuſo conferto fluctu, tremoris terrae auctor eſt, & locum ipſum inundat mare. Tali motu ſoli, & diluuij maritimae vrbes in Achaia Bura, & Helice abſorptae ſunt, inquit Proclus, & Plinius l. 2. c. 92 Strabo lib. 1. Βοῦρα δὲ, καὶ Ἑλίκη, ἡ μὲν ὑπὸ χάσματος, ἡ δὲ ὑπὸ κύματος ἠφανίσθησαν. Par hoc vrbium ita periſſe auctores ſunt etiam Seneca, Marcellinus, Ouidius, Philo Iudaeus, qui eodem infortunio nobilitat Aegiram collato verſu vetere:

Αἴγειραν, Βοῦραν τε, καὶ ὑψηλὴν Ἑλίκειαν,

quas Peloponneſo vrbes tribuit. Sed Achaia, & Peloponneſus eadem prouincia eſt, ac tota paene aquis merſa. Parthorum *Ragas* cum a ruptura nomen reperiſſe dixiſſet Strabo lib. 11. terrarum concuſſioni cauſam imputat, ex qua ſimul vrbes complures, & bis mille pagos eadem ruina merſerit.

Quod lutum in eo mari, ſeu ſputum merſae inſulae ad Atlantici maris fauces ponat Plato, pro veri argumento rapit Proclus adſerto id quoque ab Ariſtotele ſcriptum, eumque locum eſſe paludoſum.

doſum. Idem adſtruit eorum narratio, qui ſcribunt Chryſtophorum Columbum Americae repertorem, dum varium maris ingenium explorat; inibi vadoſum, & herbidum offendiſſe. Ammianus Marcellinus lib. 17. hiſtoriarum: *Climatiae, qui limes ruentes, & obliqui, vrbes, aedificia, monteſq; complanant: aut Chaſmatiae, qui grandiori motu patefactis ſubito voratrinis terrarum partes abſorbent: vt in Atlantico mari, Europaeo orbe potior inſula.* Plinius lib. 2. c. 9. *Mare in totum abſtulit terras, primum omnium, vbi Atlanticum mare eſt, ſi Platoni credimus, immenſo ſpatio.* Et quia ſimilia quae ſunt, ſimili iudicio abſoluuntur, pergit ſcribere Plinius: *Videmus hodie merſam Acarnaniam Ambracio ſinu, Achaïam Corinthio, Europam, Aſiamq; Propontide, & Ponto.* Idem lib. 6 c. 1. *Non fuerat ſatis oceano ambiſſe terras, & partem earum aucta immanitate abſtuliſſe, non irrupiſſe fractis montibus, Calpaeq; Africae auulſa tanto maiora abſorbuiſſe, quam reliquerit ſpatia, non per Helleſpontum Propontida infudiſſe, iterum terris deuoratis.* Si *maiora* abſorbuit, quam *reliquerit ſpatia:* ecquid mirum Atlanticam immani voratrina hauſtam, abſtractamque? Strabo vniuerſi menſor lib. 2. probat haec Eudoxi. Efferri terram quandoque, ac ſubſidere, item

item ex quaſſatione, ſimilibuſque cauſis eam mutari: Πρὸς δὲ καὶ τὸ τοῦ Πλάτωνος εὖ παρατίθησιν, ὅτι ἐνδέχεται, καὶ μὴ πλάσμα εἶναι τὸ περὶ τῆς νήσου τῆς Ἀτλαντίδος· περὶ ἧς ἐκεῖνος ἱστορῆσαι Σόλωνά φησι πεπυσμένον παρὰ τῶν Αἰγυπτίων ἱερέων, ὡς ὑπάρχουσα ποτὲ ἀφανισθείη τὸ μέγεθος οὐκ ἐλάττων ἠπείρου. *Praeterea Platonis illud recte apponit Eudoxus, Fieri poſſe, vt non ſit figmentum, quod de Atlantide inſula fertur, de qua is ait tradidiſſe Solonem, qui ita ab Aegyptijs didiciſſet ſacerdotibus, deletam eam eſſe, cum fuiſſet aliquando continente non minor inſula.* Cur interpres grauat hanc ſententiam *Continente tota?* Non ſatis eſt Eudoxo, ſi *A*tlanticae magnitudinem ſupra *A*fricam, *A*ſiamque tollat? *Continenti* aequauit: Interpres barbara hyperbola *Continenti toti* eam antetulit contra fidem Graecorum exemplariorum: res eſt: ſed non expreſſa. Neque vero Plato vſquam cum in Critia, aut Timaeo, aut vbiubi *A*tlanticae meminit, eam *toti Continenti* pariauit. *A*liter, Eudoxo verius, & conſideratius, *A*mmianus Marcellinus: *Europaeo orbe potior inſula.* Quae loquendi genera, vt ſunt proxima: longo tamen proxima ſunt interuallo. *A*liud eſt Maius eſſe Aſia, & *A*frica: *Continente tota* longe aliud, ac dementiae proximum. Nam Continentem ab *A*tlantide diſſepara: vbi vtramq. collocabis?

τό *Continente* ab Eudoxo eſt: *Tota*, ab interpretis ἀπεριβλεψία. *Continens tota* eſt ἡ οἰκουμένη, *Terra habitabilis* Aſia, Europa, Africa. Ecquis alius Eudoxo tribus hiſce ſegmentis Atlanticam comparauit vnquam? Immania mendacia veritatem ipſam mergunt, atque ita obruunt, & oculis, animoque tantam faciunt impoſturam, vt obiectam veritatem non percipiant.

Cum vero Plato decem faciat Atlanticas inſulas, quarum mater, & domina ſit haec Atlantica ſua immani magnitudine, atque infortunio famigerata, eius ſocias duas ſuperſtantes facit Plutarchus in Sertorio longe a Gadibus, decem millibus ſtadiorum a Libya: Ἐνταῦθα ναῦταί τινες ἐντυγχάνουσιν αὐτῷ, νέον ἐκ τῶν Ἀτλαντικῶν νήσων ἀποπεπλευκότες, αἳ δύο μὲν εἰσι λεπτῷ παντάπασι πορθμῷ διαιρούμεναι, μυρίους δὲ ἀπέχουσαι Λιβύης σταδίους. *Hic nautae nonnulli Sertorio incidunt, recens ab Atlanticis euecti inſulis, quae geminae ſunt anguſto prorſus traiectu diuiſae decem ſtadiorum millibus a Libya ſemotae.* Tertullianus libro de Pallio de Atlantide matrice: *Inter inſulas in Atlantico Libyam, aut Aſiam adaequans queritur nunc.* Plin. lib. 6. c. 31. *Traditur & alia inſula contra montem Atlantem, & ipſa Atlantis appellata. Ab ea quinque dierum nauigatione ſolitudines ad Aethiopas Heſperios,*

Digitized by Google

rios, & promontorium, quod vocamus, Heſperion ceras: inde primum circumagente ſe terrarum fronte in occaſum, ac mare Atlanticum. Haec e puſillis vna: quam illam tamen eſſe diluuio deuoratam falſo exiſtimauit Ioſephus a Coſta lib. 1. c. 22. hiſtoriae natur. Neque hic puſillam adſerit Atlanticam Plinius, neque incelebrem, aut verbo Acoſtae, nullius valoris. Tam vero fuit illa vaſta, & immanis, quae deuorata, vt ab Atlantico mari, maria omnia ingentiora nominentur Atlantica. Suidas: Ἀτλαντικὰ πελάγη, ἑσπέριος ὠκεανὸς, καὶ ἑῷος, καὶ πάντα τὰ ἄπλωτα πελάγη, καὶ Ἀτλαντὶς θάλαττα, ὁ ὠκεανός. Idem Etymologicus Autor.

Quis ab hoc de Atlantide teſtantium globo ſeducat ſe? Goropius lib. 3. Niloſcopij tam vaſtam Atlanticam mergit non tenebris obliuionis, ſed ἀνυπαρξίας. Conimbricae ſapientes ſcriptis in Ariſtotelis meteora quaeſtionibus de Atlantica inſula, & irruptione mediterranei maris fabuloſa rentur omnia. Item in lib. 2. de Coelo.

Certe ſi Aegyptus tota tremore ſoli quaſſata, ſi Bithynia, quod ex hiſtoria conſtat, prorſus potuere ſorberi: cur non ſimiliter Atlantica & quati, & aquis obrui? Immenſa ſpirituum vis eam loco emouerit, & exuberans vicini maris exundatio.

Quid ſi terrarum orbis quantus quantus eſt; moueri poteſt: cur non Atlantica? Hoc apud Plutarchum in Marcello profitebatur Archimedes: Ὡς εἰ γῆν εἶχεν ἑτέραν, ἐκίνησεν ἂν ταύτην μεταβὰς εἰς ἐκείνην. Atque alius neſcio quis: Δός τι γᾶν πᾶ στῶ, κινήσω γᾶν. An forte naturae auctor, & rector Archimede eſt inferior? Totus terrarum orbis diluuio obrutus, ac peſſundatus eſt: cur minus terrarum pars Atlantica? Multae depreſſae inſulae rurſus emerſerunt, Rhodus, Delus, aliae: cur non Atlantica pariter, inquies?

——— *Facilis deſcenſus Auerni:*

inuitat Atlanticae pondus:

Sed reuocare gradum, ſuperaſque euadere ad auras,

vetat Atlanticae pondus tanto maius, quanto ipſa eſt ſpatioſior, ac propemodum infinita, & immenſa. Referes vada, breuia, tumuli promontorijs non abſimiles, aedificiorum ruinae nec funditus, nec imitus depreſſa nauigationi erant impedimento, Platonis teſtimonio. Nunc ſi *A*tlanticum mare diſturbditur, qua ſorpta eſt *A*tlantis, quammaxime nauigatur. Reſpondeo,

Tantum aeui mutare poteſt longinqua vetuſtas,

ſint vt iam omnia complanata, & prope expedita. Suprema ratio. *A*tlantis ſparſis concuſſionibus agitata, dehiſcens pluribus locis, cur molibus alijs,

atque

atque alijs inuicem incidentibus, ac prementibus congeſta conſtipari non potuit, & arctioribus, quam antea metis coërceri? Rara diffunduntur: exſpiſſata conſtringuntur. Paene docemur a Seneca lib. 6. qq. Natur. c. 20. *Aliquando madefacta tellus liquore penitus accepto, altius ſidit, & fundus ipſe vitiatur: tunc ea pars premitur: in quam maxime aquarum vergentium pondus inclinat.* Sic aquae a primis vniuerſi cunabulis telluris dorſa amicientes vndiquaque, Numinis imperio ad praeparata conceptacula quomodo ſe appulerunt, cum ea conceptacula prius aquis redundarent? Condenſatione. Haec eſt doctrina D. Thomae 1. p. q. 69. a. 1. ad 2. reſp. 2. Neque illa D. Auguſtini lib. 1. de Geneſi ad literam abludunt: quin etiam adiutant non parum: *An forte rarior aqua velut nebula terras tegebat, quae congregatione ſpiſſata eſt, vt ex multis eas partibus, in quibus arida poſſet apparere, nudaret? Quamquam & terra longe, lateq; ſubſidens, potuit alias partes praebere concauas, quibus confluentes, & corruentes aquae reciperentur, & appareret arida ex his partibus, vnde humor abſcederet.*

Seneca lib. 6. qq Nat.

Arduum de ijs quae coniectura ſequenda ſunt, aliquid certi promittere.

Digitized by Google

C A P. XIII.

Varia Fontium, varia Fluminum ingenia.

Azania facit Abſtemios.

Item Clitorius.

EVDOXVS in ſexto ambitae terrae ſcribit, Ἔστι κρήνη τῆς Ἀζανίας, ἣ τοὺς γευσαμένους τοῦ ὕδατος ποιεῖ μηδὲ τὴν ὀσμὴν τοῦ οἴνου ἀνέχεσθαι, inquit Stephanus: *Azaniae quidam fons eſt, ex cuius aqua qui guſtauerint, vini ne quidem odorem ferunt.* De eo Priſcianus:

Dianas fons eſt ———

Nequeo pertexere: quod Nicolai le Cotte manus ſagaciſſima inſtar Autolyci eum mihi librum clepſerit. Liber tandem mutuaticius ſupplebit:

Dianas fons eſt, Camerina gignitur vnda,
Quem ſiquis manibus non caſtis ſumſerit vnquam,
Laetifico triſtis non miſcet pocula Baccho.

Meta-

Metamorphoſi XV.

Clitorio quicunque ſitim de fonte leuauit,
Vina fugit, gaudetq́ meris abſtemius vndis,
Seu vis eſt in aqua calido contraria vino,
Siue, quod indigenae memorant, Amythaone natus
Proetidas attonitus poſtquam per carmen, & herbas
Eripuit furijs, purgamina mentis in illas
Miſit aquas, odiumque meri permanſit in vndis.

Phylarchus apud Athenaeum lib. 2. Ἐν Κλείτορι εἶναι κρήνην, ἀφ' ἧς τοὺς πιόντας οὐκ ἔτ' ἀνέχεσθαι τὴν τοῦ οἴνου ὀσμήν: *Clitore fontem eſſe, ex quo qui biberint, vini odorem minime ferre.* Iſidorus lib. 13. c. 13. *Ex Clitorio lacu Italiae qui biberint, vini taedium habent.* Vitruuius lib. 8 c. 3. *In Arcadia vero ciuitas eſt non ignota Clitoris, in cuius agris eſt ſpelunca profluens aqua, quam qui biberint, fiunt abſtemij.*

Inebriat Lynceſtius, Ciſſouſa.

PLinius lib. 2. c. 103. *Lynceſtis aqua, quae vocatur Acidula, vini modo temulentos facit. Item in Paphlagonia, & in agro Caleno.* Vitruuius lib.

lib. 8. c. 3. *Sunt autem etiam fontes vti vino miſti, quemadmodum eſt vnus Paphlagoniae, ex quo etiam ſine vino potantes fiunt temulenti.* Ouidius:

Huic fluit effectu diſpar Lynceſtius amnis,
Quem quicumque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quam ſi mera vina bibiſſet.

Theopompus apud Erganem fluuium aquam ſcribit eſſe, καὶ τοὺς πίνοντας αὐτό μεθύσκεσθαι, κατὰ καὶ τοὺς τὸν οἶνον: *Ex eo bibentes inebriari, non aliter, quam qui vinum.* Euariat nonnihil *A*ntigonus: Ἐν δὲ Λυκήταις Θεόπομπον φάσκειν τι εἶναι ὕδωρ ὀξύ· τοὺς δὲ ἐκ τούτου πίνοντας, ὥσπερ ἐπὶ τῶν οἴνων, ἀλλοιοῦσθαι, καὶ τοῦθ' ὑπὸ πλειόνων μαρτυρεῖται: *Apud Lycetas Theopompo auctore aquam eſſe quandam acidam, quam qui biberint, non ſecus quam poto vino alterentur, eiuſq́ rei multos eſſe teſtes.* Habet quoque vini fontem Naxus apud Stephanum in Νάξος. Eſt & ſubrubenti colore, ac vinulo fōticulus Ciſſuſa dictus apud Plutarchum in Lyſandro: Ὑπὸ τὴν κρήνην τὴν Κισσοῦσαν προσαγορευομένην· ἔνθα μυθολογοῦσι τὰς τιθήνας νήπιον ἐκ τῆς λοχείας ἀπολοῦσαι τὸν Διονύσιον· καὶ γὰρ οἰνωπὸν ἐπιστίλβει τὸ χρῶμα, καὶ διαυγές, καὶ πιεῖν ἥδιστον: *Propter fontem Ciſſuſam nomine, vbi Dionyſium lotum a partu ab altricibus fabulantur.* Subeſt ratio: *Nam*

fontis

fontis color vini facie eſt, ac perſpicuus, & potus ſuauiſsimi. Bacchi loti fabula eſt: at vbiubi Bacchus fuit aut natus, aut lotus, altus, ſpatiatus, deuerſatus, vini luxuries accinitur. Plinius: *In Andro inſula templo Liberi patris fontem nonis Ianuarijs ſemper vini ſapore fluere Mutianus ter Coſ. credit: Diotecnoſia vocatur. Iouis partionem Diotecnoſiam interpreteris: quis neſcit Bacchum Semeles, ac Iouis ſobolem?* Apud Nonnum Baſſaricon lib. 14. palus Aſtacis cum erubuiſſet Indorum ſanguine Bacchus iocabundus haec:

Ἀντιβίους δ᾽ ᾤκτειρε Θεὸς φιλοπαίγμονι θυμῷ,
Καὶ προχοαῖς κατέχευε μέθης γέρας· ἐκ δὲ ῥοάων
Χιονέην ἤμειψε φυὴν ξανθόχροον ὕδωρ,
Καὶ ποταμὸς κελάρυζε μελίῤῥυτα χεύματα σύρων,
Καὶ προχοαῖς ἐμέθυσεν ———

Hoſtes miſeratus eſt Deus animo ludere ſolenti,
Et fluctibus defudit ebrietatis munus, atq. e flucto
Niueam mutauit naturam rufi coloris aqua,
Et fluctibus inebriauit ———

Apud Euripidem Bacchidibus, thyrſorum incuſſu vel e ſaxis lac, mel, aqua vinum large profluit Bacchi numine:

Ἄλλη δὲ νάρθηκ᾽ ἐς πέδον καθῆκε γῆς,
Καὶ τῇδε κρήνην ἐξανῆκ᾽ οἴνου Θεός.

Altera ferulam ſolo demiſit ,
atque hic fontem eduxit vini Deus.

Seneca in Oedipo: *Pumice ſicco*
Fluxit Nycteleus latex.

Quid euenerit naſcente Baccho, Vide Auienum pag. 421. ac Dionyſium περιηγητήν. Heurnius ἰατρὸς libello de *Spadacrene* capite quarto fontis Geronſteri ingenio arrogat vires ad ſemihoram, aut ſemihorae dimidium inebriandi potores, quibus cerebrum debilius.

Salmacis Aqua, & Baiarum Veneris lena:

Expultrix alia.

SAlmacidis aquae vires, laudem, ſeu infamiam ſcriptores publicant. Statius in Balneum Etruſci:

Non vos, quae culpae decus infamaſtis aquarum
Solicitare iuuat: procul hinc, & fonte doloſo
Salmacis, & viduae Crebrenidos arida luctu
Flumina ———

Strabo lib. 14. Ἡ Σαλμακὶς κρήνη διαβεβλημένη οὐκ οἶδ᾽ ὁπόθεν, ὡς μαλακίζουσα τοὺς πίοντας ἀπ᾽ αὐτῆς: *Salmacis fons neſcio vnde*

vnde accuſetur, vt molliens omnes ex eo, qui potauerint. Ouidius 15. Metam.

——— Sunt qui non corpora tantum
Verum animos etiam valeant mutare liquores:
Cui non audita eſt obſcenae Salmacis vnda?

Audiatur Feſtus: *Salmacis nomine nympha Coeli, & Terrae filia fertur cauſa fontis Hilicarnia aquae appellandae fuiſſe Salmacidis, quam qui bibiſſet, vitio impudicitiae molleſceret.* Cauſam mollitiei anquirebat Strabo, eam reddit, aperitque Feſtus: *Ob eam rem, quod eius aditus anguſtatus parietibus occaſionem largitur iuuenibus petulantibus antecedentium puerorum, puellarumq́; violandarum: quia non patet refugium. Baias* addo. Horatius:

Nullus in orbe locus Baijs praelucet amoenis.

Martialis lib. 11. vel 10. Epig. 29.

Litus beatae Veneris aureum Baiae,
Baias ſuperbae blanda dona naturae
Vt mille laudem, Flacce, verſibus Baias:
Laudabo digne non ſatis tamen Baias.

Lib. 4. *Nec ſatis eſt Baias igne calere ſuo.*

Plinius lib. 31. c. 2. *Nuſquam tamen largius, quam in Baiano ſinu, nec pluribus auxiliandi generibus,*

Digitized by Google

aliae ſulphuris, aliae aluminis, aliae ſalis, aliae nitri, aliae bituminis, nonnullae etiam acida, ſalſaue miſtura, aquae Baiarum. Quarum qualitatum effecta, quo ferant, neſcit nemo. A calentibus aquis famam obtinuere Baiae, ijſque Venerem conciliantibus, quod loco non vno Martialis teſtatus eſt, potiſſimum lib. 1. vbi in Laeuinam illa iocoſiora:

Et dum Baianis ſaepe fouetur aquis,
Incidit in flammas, iuuenemque ſecuta relicto
Coniuge, Penelope venit, abit Helene.

Cauſa, cur *Baiae* Silio Italico *Tepentes* dicantur, Papinio *Aeſtuantes*. Addatur Iſidorus lib. 13. c. 13. *Boeotiae lacus furialis eſt, de quo qui biberit, ardore libidinis exardeſcit.* Contra *Cyzici fons amorem Veneris tollit*, ibidem Iſidorus.

Galli aqua inſaniae auctor.

Item fontis Rubri, & Chij.

Inter ait viridem Cybelen, altaſq; Celaenas,
Amnis it inſana nomine Gallus aqua.
Qui bibit, inde, furit: procul hinc diſcedite, quis eſt
Cura bonae mentis: qui bibit inde, furit.

Faſto-

Faſtorum 4. l. ſic Ouidius. Neque moderamen ponit: ſupplet Plinius lib. 31. c. 2. *In Phrygiae Gallo flumine Callimachus... Sed ibi in potando neceſſarius modus, ne lymphatos agat, quod in Aethiopia accidere his, qui fonte Rubro biberint, Cteſias ſcribit.* Iſidorus Originum lib. 13. c. 13. *In Aethiopiae fonte rubro qui biberit, lymphaticus fit.* Vitruuius lib. 8. c. 3. *Item eſt in inſula Chio fons, e quo qui imprudenter biberint, fiunt inſipientes, & ibi eſt Epigramma inſculptum ea ſententia: Iucundam eſſe potionem fontis eius, ſed qui biberit, ſaxeos habiturum ſenſus.*

Ἡδεῖα ψυχροῖο ποτοῦ λιβὰς, ἣν ἀναβάλλῃ
　Πηγὴν, ἀλλὰ νόῳ πέτρος ὁ τῆσδε πιών.

Algentis potus ſuauis ſtilla eiaculatur
　Fontem: verum animo fit lapis inde bibens.

A fontibus

Oculorum auxilia, & noxae.

SEneca l. 3. qq Nat. c. 1. *Quaedam enim oculos, quaedam neruos iuuant.* In eadē Sardinia fontes *ocularias diſsipant aegritudines*, inquit Solin. c. 10. Ciceronianas aquas oculis medētes miris laudib. extulit Plin.

l. 31. c. 2. *Exiguo poſt obitum ipſius* [Ciceronis] *Antiſtio Vetere poſsidente eruperunt fontes calidi perquam ſalubres oculis celebrati carmine Laureae Tullij, qui fuit e libertis eius, vt protinus noſcatur etiam miniſterium eius ex illa maieſtate. Ponam enim ipſum carmen, dignum vbique, & non ibi tantum legi:*

Quo tua Romanae vindex clariſsime linguae
Silua loco melius ſurgere iuſſa viret:
Atque Academiae celebratam nomine villam
Nunc reparat cultu ſub potiore Vetus.
Hic etiam apparent lymphae non ante repertae,
Languida quae infuſo lumina rore leuant.
Nimirum locus ipſe ſuo Ciceronis *honori*
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope.
Vt, quoniam totum legitur ſine fine per orbem,
Sint plures oculis quae medeantur aquae.

Iſidorus: *In Italia fons Ciceronis oculorum vulnera curat.* Plus caeteris adſerit. Ibidem: *In Sardinia fontes calidi oculis medentur: fures arguunt: nam caecitate detegitur eorum facinus.* Plinius ſupra: *Leucogaei fontes inter Puteolos, & Neapolim oculis, & vulneribus medentur.*

Dentes

Digitized by Google

Dentes cadiui ab aqua.

DEntibus fonticulus perniciabilis Suſis eſt. Vitruuius lib. 8. c. 3. *Suſis autem, in qua ciuitate eſt regnum Perſarum*, [regiam intelligit] *fonticulus eſt, ex quo qui biberint, amittunt dentes.* Vnde Epigramma:

Ὕδατα ταῦτα βλέπεις φοβερὰ ξένε, τῶν ἀπὸ χερσὶ
  Λουτρὰ μὲν ἀνθρώποις ἀβλαβῆ ἐστιν ἔχειν.
Ἢν δὲ βάλῃς κοίλης ποτὶ νηδύος ἀγλαὸν ὕδωρ,
  Ἄκρα μόνον δολιχοῦ χείλεος ἁψάμενος,
Αὐτῆμαρ πριστῆρες ἐπὶ χθονὶ δαιτὸς ὀδόντες
  Πίπτουσι, γενύων ὄρφανα θέντες ἕδη.

Terribiles quas cernis aquas, innoxius humor
  Eſt hominum manibus, quas lauit hoſpes, aquae:
Praeſtantes lymphas aluus ſi ſumat inanis,
  Summaque labra ſemel contigerit modice:
Qui paſtum didunt dentes, labuntur eadem
  Luce, carent orbae dentibu' mandibulae.

Αὐτῆμαρ, *Ipſomet die*, quo aquam iſtam potaueris: at intra biennium iacturam iſtam nucifrangibulorum a dentifrangibulis aquis euenire docet in Germania

mania Plinius lib. 25. c. 3. *In Germania trans Renum caſtris a Germanico Caeſare promotis maritimo tractu fons erat aquae dulcis ſolus, qua pota intra biennium dentes deciderent, compageſque in genibus ſoluerentur. Stomocacen medici vocabant, & Sceletyrben ea mala.* Malarum affectionum oris, ac tibiarum vocabula duo haec non temere alibi reperias, niſi apud Strabonem lib. 16. de quibus vide Langium epiſt. 13. Variarum, vberius etiam epiſt. 14. Item Gorrhaeum in Definitionibus.

Aquae Periurij vindices.

SIc nominari poſſunt aquae Ariſtoteli memoratae lib. de Miris auditis: Ἔστι δὲ καὶ ὅρκος, ὃς ἅγιος αὐτόθι δοκεῖ εἶναι· ὅσα γὰρ γράμμασί τις γράψας εἰς πινακίδιον ἐμβάλλει εἰς τὸ ὕδωρ· ἐὰν μὲν οὖν εὐορκῇ, ἐπιπολάζει τὸ πινακίδιον· ἐὰν δὲ μὴ εὐορκῇ, τὸ μὲν πινακίδιον βαρὺ γενόμενον ἀφανίζεσθαί φασιν, τὸν δ᾽ ἄνθρωπον πίμπρασθαι· διὸ καὶ λαμβάνειν τὸν ἱερέα παρ᾽ αὐτοῦ ἐγγύας ὑπὲρ τοῦ καθαίρειν τινὰ τὸ ἱερόν. Haec ſunt. *Eſt & iuſiurandum, quod inibi ſanctum videtur: quidquid enim tabellis inſcripſerit quis, vbi in aquas inijcit, tabellae nant in ſumma vnda, ſi ſancte iurauerit: ſin autem peierarit, tabellae grauiores factae nuſquam comparent: iuratus vritur. Propterea*

quoque

quoque ſponſionem ab aliquo ſacerdos capit de purgando templo. Macrobius lib. 5. Satur. c. 19. *In Sicilia Symethus fluuius eſt: iuxta hunc nympha Thalia compreſſu Iouis grauida metu Iunonis optauit, vt ſibi terra dehiſceret, quod & factum eſt. Sed vbi venit tempus maturitatis infantum, quos aluo illa geſtauerat, recluſa terra eſt, & duo infantes de aluo Thaliae progreſsi emerſerunt, appellatique ſunt Palici* ἀπὸ τοῦ πάλιν ἱκέσθαι, *quoniam prius in terram merſi, denuo inde reuerſi ſunt.* Haec, vt quam cum Ariſtotele conſentiant, videamus, praeſtruenda fuere. Attexit deinde Macrobius: *Nec longe inde lacus breues ſunt, ſed immenſum profundi, aquarum ſcaturigine ſemper ebullientes, quos incolae crateras vocant, & nomine Dellos appellant, fratreſque eorum Palicorum extimant, & habentur in cultu maximo; praecipueque circa exigendum circa eos iuſiurandum, praeſens, & efficax numen oſtenditur. Nam cum furti negati, vel eiuſcemodi rei fides quaeritur, & iuſiurandum a ſuſpecto petitur: vterque ab omni contagione mundi ad crateras accedunt, accepto prius fideiuſſore a perſona, quae iuratura eſt, de ſoluendo eo, quod peteretur, ſi addixiſſet euentus. Ille inuocato loci numine teſtatum faciebat eſſe iurator, de quo iuraret. Quod ſi fideliter faceret, diſce-*

 debat

debat illaeſus : ſi vero ſubeſſet iuriiurando mala conſcientia , mox in lacu amittebat vitam falſus iurator. Haec res ita religionem fratrum commendabat, vt crateres quidem implacabiles vocarentur. Quare in illo Maroneo l. 9. ſcribendum fuerit *Implacabilis* , non *Placabilis* :

Eductum matris luco Symetia circum
Flumina , pinguis vbi implacabilis ara Palici.

Metamorphoſeos 5.

Stagna Palicorum rupta feruentia terra.

De *Palicis*, vide Stephanum de Vrbibus , Diodorum lib. 11. & 36. Ex his praeſignatis emendes , ſcribaſque lib. 13. Baſſaricon Nonni :

——— Οἵτε Παλίκων
Ἕδρανον ἀμφενέμοντο, καὶ οἱ Καλάνην παρὰ λίμνην
Γείτονα Σειρήνων πόλιν ᾤκεον ———

Praefuit Παλίγγων. Adſimilis loci commeminit Plinius lib. 31. c. 2. *Olachas in Bithynia Briazum alluit , hoc eſt & templo , & Deo nomen , cuius gurgite periuri notantur pati velut flammam vrentem.* Alijs in aquis periuria coecitate vindicantur. Rhemmius in Dionyſium:

Sardiniae poſtquam pelago circumflua tellus
Fontibus e liquidis praebet miracula mundo ,
Quod ſanant aegros, pandunt, damnantq; neſando
Periuros furto, quos tacto flumine caecant.

De

De fontibus his Solinus c. 10. *Coarguendis valent furibus. Nam quiſquis ſacramento raptum negat, lumina aquis attrectat: Vbi periurium non eſt, cernit clarius: ſi perfidia abnuit, detegitur facinus caecitate, & captus oculis admiſſum tenebris fatetur.*

Quibus in Aquis lapit, quod recipitur.

SEneca lib. 3. Natur. Quaeſtion. de Aquis: *Sunt, quae coguntur in lapidem.* Priſcianus περιηγήσει.

——— *Eſt longe ſupra Sirenida rupem*
Picentis Silari-gurges ſpectabile flumen.

Spectabile flumen: cauſam dicat Plinius lib. 2. c. 103. *Similiter in flumine Silaro ultra Surrentum non virgulta modo immerſa, verum & folia lapideſcunt, alias ſalubri potu eius aquae.* Strabo lib. 5. de *Silari* (ſic enim ille) Ἐπὶ τοῦ ὕδατος τοῦ ὄντος τοῦ ποταμοῦ τούτου: *De aqua huius amnis.* Inijce, Τοῦ ὄντος πολίμου ex Euſtathio in Dionyſium, cui notatum: Τοῦτον ὁ γεωγράφος Σίλαριν γράφων λέγει ἴδιον τοῦ Σιλάριδαι, ὅτι τοῦ ὕδατος ὄντος ποτίμου. Item ex Silio:

Nunc Silarus, quos nutrit aquis, quo gurgite tradūt
Duritiem lapidum merſis inoleſcere ramis.

Et ſalubrem Silari potum teſtatur Plinius. Notatu dignum, quod quidquid Silaro lapit nec colorem exuit, nec de forma quidquam deterget auctore Strabone. Vin' plures ſeu fontes, ſeu fluuios pari vi? Oggerat pleno modio Plinius lib. 31. c. 2. *Lebedon namque alluit riuus, in quo ſaxa in altitudinem creſcunt. In Eurymenis fontem deiectae coronae lapides fiunt. In Coloſsis flumen eſt, in quo lateres coniecti, lapides extrahuntur. In Scyretico metallo arbores quaecunque flumine alluuntur ſaxa fiunt cum ramis diſtillantes quoque guttae in lapides dureſcunt in antris Corycijs: nam Mieze in Macedonia etiam pendentes in ipſis cameris: at in Corintho, vbi decidere. In quibuſdam ſpeluncis vtroque modo columnas faciunt, vt in Phauſia Cherſoneſi Rhodiorum in antro magno etiam diſcolori adſpectu.* Iſidorum conſule lib. 13. c. 13. Teſtatur Haertungrus in Spadacrene vidiſſe in Euganeis fontem, quo iniecta lapideſcerent. Heurnius lib. 1. Methodi ait ſe vidiſſe hoc in fonte muliebrem mammam ſaxeam induiſſe naturam. Moriens mulier eo fonte merſa fuerat. Tertio quoque a Mogontia lapide vidit Haertungrus prope Suualbach fontem, in quem pilae palmariae, chirothecae, aliaque poroſiora iniecta nocte vna lapides erant, & in vicino ligna. Eſto acceſſio ex

Stra-

Strabonis lib. 6. de terra Aetnae incendijs proxima, in qua incendijs colliquefacta durantur in lapidem: Ο῾ δὲ ῥύαξ εἰς πῆξιν μεταβάλλων, ἀπολιθοῖ τὴν ἐπιφάνειαν τῆς γῆς ἐφ᾽ ἱκανὸν βάθος, ὥσπερ λατομίας εἶναι χρείαν τοῖς ἀνακαλύψαι βουλομένοις τὴν ἐξ ἀρχῆς ἐπιφάνειαν. Interpres: *Egeſtae ex incendio Aetnae materiae fluxus ita concreſcit, vt ad iuſtam altitudinem ſoli ſuperficiem in lapidem conuertat, quam qui nudare velint, opus habeant lapides ſcindere.* Videſis reliquias. Addatur Plinius ſupra: *In Ciconum flumine, & in Piceno lacu Velino lignum deiectum lapideo cortice obducitur: & in Surio Colchidis flumine, adeo vt lapidem plerumque durans adhuc integat cortex.* Ibidem: *In exitu paludis Reatinae ſaxum creſcit.* Vitruuius lib. 8. c. 3. *Eſt in Cappadocia in itinere, quod eſt inter Mazaca, & Tuana locus amplus, in quem lacum pars ſiue arundinis, ſiue alij generis, ſi demiſſa fuerit, & poſtero die exemta, ea pars quae fuerit exemta, inuenitur lapidea, quae autem pars extra aquam manſerit, permanet in ſua proprietate.* Antigonus c. 177. Εἶναι δὲ καὶ παρὰ τοῖς Κώοις καὶ ἄλλο τι ῥευμάτιον, ὃ πάντας τοὺς ὀχετοὺς, ὅθεν διαῤῥεῖ λίθους πεποίηκεν. Τοῦτο δὲ καὶ Εὔδοξος, καὶ Καλλίμαχος παραλείπουσιν, ὅτι ἐκ τοῦδε τοῦ ὕδατος οἱ Κῷοι λίθους λατομήσαντες, ᾠκοδόμησαν τὸ θέατρον· οὕτως ἰσχυρῶς ἀπολιθοῦται πᾶν γένος:

Eſſe quoque apud Coos alium riuulum, qui omnes aquae ductus, per quos defluit, in lapides mutet. Id etiam Eudoxus, & Callimachus reliquerunt, quod ea ex aqua Coi lapidibus exciſis theatrum exaedificarunt. Tantam vim habet omnia in lapides conuertendi. Idem c. 150. Μούαβιν ἀπολιθοῦν, ἐάν τις ἐμβάλῃ σοιβὴν, ἢ λίθον. *Muabin iniectam ſtoeben, vel lapidem in lapidem vertere.* Quem locum mendae accuſat iure literatiſſimus Meurſius. Adde Ouidium Senecae laudatum:

Flumen habent Cicones, quod potum ſaxea reddit
Viſcera, quod tactis inducit marmora rebus.

Medicamentum eſt, & eius naturae habet limum, vt corpora & agglutinet, & induret. Quemadmodum Puteolanus puluis, ſi aquam attigit, ſaxum eſt: ſic e contrario, haec aqua ſi ſolidum tetigit, haeret, & affigitur. Inde eſt, quod res abiectae in eundem lacum, lapideae ſubinde extrahuntur. Quod in Italia quibuſdam locis euenit, ſiue virgam, ſiue frondem demerſeris, lapidem poſt paucos dies extrahis. Circumfunditur enim corpori limus, alluiturq; paulatim. Hoc minus tibi videbitur mirum, ſi notaueris Albulam, & fere ſulphuratam aquam circa canales ſuos, tuboſque durari. His perbelle cauſam duraminis rerum aquis demerſarum explicat ſapiens Seneca.

In

In Aqua miri carbones ingenij.

STephanus de Vrbibus memorat apud Sinthias ποταμόν τινα εἶναι Πόντον προσαγορευόμενον, ἐν ᾧ καταφέρεσθαί τινας λίθους, οἱ καιόμενοι τουναντίον πάσχουσι τοῖς ἐκ τῶν ξύλων ἄνθραξι· ῥιπιζόμενοι μὲν γὰρ ἀποσβεννύντας ταχέως, ὕδατι δὲ ῥαινόμενοι ἀνάπτονται· ὅταν δὲ καίωνται πονηρὸν ὄζουσι, καὶ παραπλήσιον ἀσφάλτῳ, καὶ τὴν ὀσμὴν οὕτω δριμεῖαν ἔχουσιν, ὡς μηδὲν τῶν ἑρπετῶν ὑπομένειν καιομένων αὐτῶν. Haec ſunt: *Amnem eſſe Pontum nomine, in quo lapides quoſdam deuolui, quibus accenſis, contra quam e ligno carbonibus, eueniat. Quippe ventilati mox exſtinguuntur: aqua reſperſi accenduntur. Adde quod accenſi male oleant, & non diſsimiliter bitumini, tamque acri ſunt odore, cum ardent, vt reptilibus ſit intolerabilis.* Non idem eſt carbonum de terra Leodicenſium, Montenſiumque ingenium? Suppar lapidis Thracij indoles, quo ſuper Nicandrus in Alexipharmacis:

Ἠὲ σύγε Θρήισσαν ἐνιφλέξας πυρὶ λᾶαν,
Ἥθ' ὕδατι βρεχθεῖσα σέλαασεται, ἔσβεσε δὲ αὐτὴν
Τυτθὸν, ὅτ' ὀδμήσηται ἐπιρραινθέντος ἐλαίου.
Τὴν ἀπὸ Θρηικίου νομέου ποταμοῖο φέρουσιν.
Ὃν Πόντον καλέουσιν ——

De

De fugatis odore ſerpentibus Nicander idem tradit, ac ex eo Galenus lib. 9. Simplicium medicamentorum. Plinius lib. 33. c. 5. *Calx aqua accenditur, & Thracius lapis, ideoque oleo reſtinguitur.* Dioſcorides lib. 5. Ὁ δὲ λεγόμενος Θρακίας, γεννᾶται μὲν ἐν Σκυθίᾳ ἐν ποταμῷ τῷ λεγομένῳ Πόντῳ· δύναται δὲ τὰ αὐτὰ τῷ γαγάτῃ. Ἱστορεῖται δὲ ἐκκαίεσθαι μὲν αὐτὸν ὕδατι· σβέννυσθαι δὲ ὑπὸ ἐλαίου, ὅπερ καὶ ἐπὶ τῆς ἀσφάλτου γίνεται: *Qui lapis Thracias dicitur, in Scythiae fluuio, qui Pontus vocatur, gignitur. Eiuſdem eſt cum Gagate facultatis. Narratur aqua accendi, oleo reſtingui, quod & bitumini accidit.* De Gagate Iſidorus lib. 16. c. 4. *Accenditur aqua, oleo reſtinguitur.* Tantundem Solinus c. 35. Galenus l. 8. Simplicium, Dioſcorides.

Boues, Oues ab aquis albent: aut nigrant.

MAro Georg. 2.

Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus
Victima ſaepe tuo perfuſi flumine ſacro
Romanos ad templa deum duxere triumphos.

Plinius lib. 2. c. 103. *In Faliſco omnis aqua pota candidos facit boues.* Propertius lib. 2. Eleg. 19.

Qua

Qua formoſa ſuo Clitumnus flumina luco
Integit, & niueos abluit vnda boues.

Claudianus de ſexto Conſulatu Honorij:

Quin & Clitumni ſacras victoribus vndas,
Candida quae Latijs praebent armenta triumphis.

Alij miraculum idem literis vulgauere, Statius lib. 1. Siluarum in Soterijs, Iuuenalis Sat. 12. Ouid. Faſtis, & 1. Ε'ξάτων Eleg. 12. Arnobius lib 2. Silius Italicus, Priſcianus. Iſidorus: *In Theſſalia duo ſunt flumina: ex vno bibentes oues nigras fieri ferunt: ex altero albas: ex vtroque varias.*

Cephiſſus quoque oues albas facit Plinio lib. 2. c. 103. Solinus c. 12. *Varro opinatur in Boeotia duo eſſe flumina, quorum alterum ſi ouinum pecus debibat...... alterius hauſtu, quaecunque vellerum fuſca ſunt in candidum verti.* Seneca Natur. qq. lib. 3. c. 25. idem teſtatur addito: *In Macedonia quoque, vt ait Theophraſtus, eſt flumen, ad quod qui facere albas oues volunt, adducunt. Quod vt diutius potauere, non aliter quam infectae mutantur.* Acceſſio noua: *Eſſe in Cappadocia* [flumen] *quo poto equis, nec vlli praeterea animali, color mutatur, & ſpargitur albo cutis.*

Melas parem nomini ſortitur effectum: quo videlicet epoto nigrorem animalia contrahunt.

Digitized by Google

Seneca ſupra: *Quae albae* [oues] *venerant, nigrae abeunt. Hoc etiam in Boeotia amnes duo efficiunt: quorum alteri ab effectu Melas nomen eſt.* Idem Varro tradit Solini c. 12. Diſtinctè, apertè, nominatim ſingulorum vires enotauit Plinius lib. 2. c. 103. *In Boeotia amnis Melas oues nigras ... rurſus nigras Penius, rufaſq; iuxta Ilium Xanthus, vnde & nomen amni. In Ponto fluuius Aſtaces rigat campos, in quibus paſtae nigro lacte equae gentem alunt.* Nota miraculum *Lactis nigri.* De Xantho Ariſtoteles lib. 2. de Hiſtor. Animal. c. 12. Δοκεῖ δὲ καὶ ὁ Σκάμανδρος ποταμὸς ξανθὰ πρόβατα ποιεῖν· διὸ καὶ τὸν Ὅμηρόν φασιν ἀντὶ Σκαμάνδρου Ξανθὸν προσαγορεύειν αὐτόν: *Videtur & Scamandrus fluuius oues rufas reddere: eoque Homerum pro Scamandro Xanthum* [hoc eſt *Rufum*] *agnominaſſe ferunt.* Vitruuius lib. 8. c. 3. *Sunt enim Boeotiae flumina Cephiſſus, & Melas, Lucaniae Cratis, Troiae Xanthus, inque agris Clazomeniorum, & Erythraeorum, & Laodicenſium fontes, ac flumina, cum pecora ſuis temporibus amni parantur ad conceptionem partus, per id tempus adigitur eo quotidie potum* (diſpuli τὸ *Adiungitur*) *ex eoque quamuis ſint alba, procreant alijs locis leucophaea, alijs locis pulla, alijs coracino colore.* Priſcianus Periegeſi:

Hoc fuſcat niueas, hoc albat gurgite nigras.

Crathis,

Crathis, & Sybaris eadem vi pollere crediti ſunt. Strabo lib. 6. Ὁ δὲ Κρᾶθις τοὺς ἀνθρώπους ξανθοτριχεῖν, καὶ λευκοτριχεῖν ποιεῖ λουομένους. Interpres Ouid. l. 14. Transformationũ.

Crathis, & hinc Sybaris veſtris conterminus oris
Electro ſimiles faciunt, auroque capillos.

Adrianum Iunium Commentario de Coma conſule. Egregie varia haec aquarum ingenia depingit Ariſtoteles ſubtexta ratione, modoque lib. 3. de hiſtor. Animalium c. 12. Μεταβάλλουσι δὲ ἔνια τῶν ζώων τὰς χρόας τῶν τριχῶν κατὰ τὰς τῶν ὑδάτων μεταβολάς· ἔνθα μὲν γὰρ λευκὰ γίνεται· ἔνθα δὲ μέλανα. Ταῦτα δὲ καὶ περὶ τὰς ὀχείας ἐστὶν ὕδατα πολλαχοῦ τοιαῦτα, ἃ πιόντα, καὶ ὀχεύσαντα μετὰ τὴν πόσιν τὰ πρόβατα μέλανας γεννῶσι τοὺς ἄρνας, διον ἐν τῇ Χαλκιδικῇ τῇ ἐπὶ τῆς Θράκης, ἐν τῇ Ἀσυρίτιδι ἐποίει ὁ καλούμενος ψυχρὸς ποταμὸς, καὶ ἐν τῇ Ἀντανδρίᾳ δὲ δύω ποταμοί εἰσιν, ὧν ὁ μὲν λευκὰ, ὁ δὲ μέλανα ποιεῖ τὰ πρόβατα. Haec ſunt: *Aquarũ itẽ vſu variato animalia nonnulla ſuos immutãt colores: alibi enim cãdida, alibi nigra redduntur. Tales ſunt hae frequenter circa coitum aquae, quas quae biberint oues, & a potu coïerint, pullos generãt agnos, vt in Thraciae Chalcide: in Aſſyritide idem efficit fluuius nomine Pſychrus. In Antãdria vero duo ſunt amnes, e quorum potu albae, nigraeue oues euadunt.* Antigonus c. 84. Τὸν ἐν τῇ Χαλκιδικῇ ποταμὸν τὸν ἐπὶ Θρᾴκης, τὸν καλούμενον Κόχρωναν, πιόντα τὰ πρόβατα, ἔχειν τὰ γεννώμενα μέλανα ποιεῖ· καὶ ἐν τῇ Ἀντανδρίᾳ δύο ποταμοὺς εἶναι, ὧν τὸν μὲν, λευκὰ· τὸν δὲ μέλανα γεννᾷν:

In Thracia flumen ad Chalcidicam, nomine Cochrynam ab ouibus potum nigros facere foetus. Duo etiam eſſe in Antandria flumina, quorum alterum nigra, alterum alba gignat. Addit in Euboea iuxta Italicam Chalcidi finitimam duos eſſe amnes Cerontem, & Neleum, de quibus ſi bibant mulieres circa concipiendi tempus, a Ceronte nigra, a Neleo alba parere. Cauſarum inuentio veſtigatu difficilis. Eam ſi putas coloris imaginationem: in quouis fluuio, fonte, aqua potanda nigri, albique ſubrepere poteſt imaginatio, in quibus eadem non comperiuntur effecta. Si in locis proxime memoratis imaginationem animalium dixeris a qualitate fundi albentis, aut nigrantis feriri: cur Albula Italiae non eadem vi pollet? Cur in Boryſthene, vbi vndae ſunt violaceae, lana non eumdem bibit colorem? cur non viridem, vbi fundus, aut aqua viret? Rerum omnium cauſae non cuiuis peruiae.

Dulcis, & Salſa ab eodem principio diducta.

VItruuius lib. 8. c. 3. *In Sicilia flumen eſt Himera, quod a fonte cum eſt progreſſum, diuiditur*

ditur in duas partes: quae pars profluit contra Aetnam, quod per terrae dulcem ſuccum percurrit, eſt infinita dulcedine: altera pars, quae per eam terram currit, vnde ſal foditur, ſalſum habet ſaporem. Vide Melam lib. 2. c. 7. Solinum c. 11. Antigonum in Hiſtoriarum paradoxarum Synagoga, Diodorum lib. 19. Silium Italicum lib. 14 & in eum Notas noſtras. Nec procul hinc leges ab eadem ſcaturigine fontes calidum, & frigidum.

Aquae ſilentio aditae tardiores, voce elatiore citatiores.

CLaudianus de VI. Conſulatu Honorij:

——— Nec te miracula fontis
Praetereunt, tacito paſſu quem ſiquis adiret,
Lentus erat: ſi voce gradum maiore citaſſet,
Commiſtis feruebat aquis ———

Solinus c. 11. *In Haleſina regione fons alias quietus, & tranquillus, cum ſiletur: ſi inſonent tibiae, exſultabundus ad cantum eleuatur, & quaſi miretur, dulcedinem vocis, vltra margines intumeſcit.*

Digitized by Google

Quibus Aquis fax accendatur: accenſa exſtinguatur.

OVidius 15. Metamorph.

Admotis Athamantis aquis accendere lignum
Narratur, minimos cum luna recreſcit in orbes,

Antigonus in Synagoga hiſtoriarum paradoxarum: Περὶ δὲ τὴν Ἀθαμανίαν ἱερὸν εἶναι νυμφῶν, ἐν ᾧ τὴν κρήνην, τὸ μὲν ὕδωρ ἔχειν ἄφατον ὡς ψυχρόν· ὃ δὴ ἂν ὑπερθῇς αὐτοῦ θερμαίνειν· ἐὰν δέ τις φρύγανον, ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων προσενέγκῃ, μετὰ φλογὸς καίεσθαι. Ipſiſſima verba ſunt Strabonis lib. 12. inarata. Interpretor: *Circa Athamaniam Nympharum eſſe templum, in quo fons aquae immanem in modum frigidae, cui quidquid ſuperpoſueris, calde id fieri: quod ſiquis cremium, aut ſimile quid applicuerit, inflammari.* Ex Antigono non inconcinne ſcripſeris in Ouidio *Athamanis aquis.* Iuuerit Liuius, cui libris 31. 38. crebra eſt *Athamaniae, & Athamanum* mentio. Alijs quoque libris eſt:

——— *Minimos cum luna receſſit in orbes,*

quod a lunae decremento eſt: alterum deterius. Paulo diuerſior eſt D. Auguſtinus lib. 21. de Ciuit. c. 5. *In Epiro alium fontem, in quo faces vt in caeteris exſtinguuntur accenſae, ſed, non vt in caeteris, accen-*

accenduntur exſtinctae. Auguſtino ſimiliter Solinus c. 12. Similiter Mela l. 2. c. 3. *In Epiro Dodonaei Iouis templum, & fons ideo ſacer, quod cum ſit frigidus, & immerſas faces, ſicut caeteri, exſtinguat: vbi ſine igne procul admouentur, accendit.* Plin. lib. 2. c. 103. *In Dodone Iouis fons cum ſit gelidus, & immerſas faces exſtinguat: ſi exſtinctae admoueantur, accendit.*

Calidi fontes.

PLinius lib. 31. c. 6. *Homerum calidorum fontium mentionem non feciſſe demiror, cum alioqui lauari calida frequenter induceret.* Sic ille. Subiecta igitur Plinius aut non legit, aut non meminit, aut pro Homericis non habuit, quae ſunt Iliade X perſcripta:

Κρούνῳ δὲ ἵκανον καλλιῤῥόῳ· ἔνθα δὲ πηγαὶ
Δοιαὶ ἀναΐσσουσι Σκαμάνδρου δινήεντος.
Ἡ μὲν γάρ θ' ὕδατι λιαρῷ ῥέει· ἀμφὶ δὲ καπνός.
Γίνεται δ' ἐξ αὐτῆς ὡσεὶ πυρὸς αἰθομένοιο.
Ἡ δὲ ἑτέρη θέρεϊ προρέει εἰκυῖα χαλάζῃ,
Ἡ χιόνι, ψυχρῇ, ἢ ἐξ ὕδατος κρυστάλλῳ.

Interpretor: *Ad fluentum autē venerunt belle fluentem: vbi fontes duo ſcaturiunt Scamandri vorticoſi: alter quidē aqua calida fluit: circum autē fumus fit ex ipſo velut ignis ardētis: alter vero aeſtate defluit ſimilis grādini,*

vel

vel niui frigidae, vel ex aqua glaciei. Obuiam Homero ſe fert Strabo lib. 13. Οὔτε γὰρ θερμὰ νῦν ἐν τῷ τόπῳ εὑρίσκεται, οὐδὲ ἡ τοῦ Σκαμάνδρου πηγὴ ἐνταῦθα, ἀλλ' ἐν τῷ ὄρει, καὶ μία, ἀλλ' οὐ δύο. Τὰ μὲν οὖν θερμὰ ἐκλελεῖφθαι εἰκός: *Neque enim hoc in loco calidae reperiuntur aquae, neque hic eſt Scamandri fons; ſed in monte, iſq; vnicus, non duo.* Caldas igitur defeciſſe Scamandrum vero eſt ſimile. Idem negitauerat lib. 1.

Tantum aeui mutare valet longinqua vetuſtas!

Notauit ad locum hunc Euſtathius: Ὤπται καὶ νῦν περὶ τὴν Παννονίαν γῆν, ἤγουν τὴν τῶν Βουλγάρων ἀναδόσεις δύο τοιούτων πηγῶν, ὧν ἡ μία καίουσα ζωογονεῖ ὅμως σκώληκας, οἳ καὶ ἐξαιρεθέντες τοῦ ζέοντος, καὶ ἀέρι ὁμιλήσαντες ἐκλείπουσι: *Videre eſt etiamnum in Pannonia terra, ſeu Bulgarorum eruptiones duas talium fontium, quorum ardet alter: nihilominus viuos gignit vermes, qui feruente aqua exemti aurae contactu emoriuntur.* Herodotus lib. 4. non procul Boſporo Tearon fluuium locat cum quadraginta prope fontibus, Καὶ αἱ μὲν αὐτέων εἰσὶ ψυχραὶ, αἱ δὲ θερμαί. *Partim frigidi, partim calidi,* quos fontes medica vi vult ab humanis, equiniſque corporibus ſcabiem curare. Verum in ſupero Homeri carmine Euſtathius, ac Strabo ὕδατι λιαρῷ non *Tepentem aquam* exponunt, ſed *Caldam.* Eam Homeri mentem deprehendas

hendas ex fumo, atque ex illo Ὡσεὶ πυρὸς αἰθομένοιο *inſtar ignis accenſi, aut ardentis.* Plinius lib. 31. c. 42. *Emicant benigne, paſſimque* [aquae] *in plurimis terris alibi frigidae, alibi calidae, alibi iunctae, ſicut in Tarbellis Aquitanica gente, & in Pyrenaeis montibus tenui interuallo diſcernente.*

Fontes Calida, Gelida manantes.

CVrtius lib. 3. *Eſt etiam aliud Ammonis nemus: in medio habet fontem, aquam ſolis vocant: ſub lucis ortum tepida manat: medio die, cum vehementiſſimus eſt calor, frigida eadem fluit: inclinato in veſperam caleſcit: media nocte feruida exaeſtuat, quoque proprius nox vergit ad lucem, multum ex nocturno calore decreſcit; donec ſub ipſum diei ortum aſſueto tempore langueſcat.* Plinius lib. 2. c. 103. *Iouis Ammonis fons interdiu frigidus, noctibus feruet.* Idem lib. 15. c. 5. Lucretius lib. 6.

Eſſe apud Ammonis fanum fons luce diurna
Frigidus: at calidus nocturno tempore fertur.

Metamorphoſi lib. 16. Ouid.

——— *Medio tua corniger Ammon*
Vnda die gelida eſt, ortuque, obituq; caleſcit.

Silius Italicus lib. 3. Punicorum:

Stat ſano vicina, nouum, & memorabile lympha,
Quae naſcente die, quae deficiente tepeſcit,
Quaeq; riget, medium cum ſol accendit olympum.

Vide, quae ad haec Silij pridem enotauimus, &, ſi volentia eſt, apud Etymologum Ἀναπαυόμενον ὕδωρ: ex Methodio. Aliarum aquarum calidarum, & medicatarum, & balineorum praetermittimus. Earum ſunt equidem vires quammaximae: at de his tractationem praeuerterunt alij. Aponi fontem in Italia celebrauit antiquitas, de quo Caſſiodorus lib. 2. Variar. *Illis a cautibus vnda deſcendens, & aëra ſua qualitate ſuccendit, & tactu fit habilis, cum recepta fuerit in lauacris: vnde non tantum delicioſa voluptas acquiritur, quantum blanda medicina confertur, ſcilicet ſine tormento cura, ſine horrore remedia, ſanitas impunita, balnea contra diuerſos dolores corporis attributa, quae ideo Aponum, id eſt Sine dolore, lingua Graeca beneficialis nominauit Antiquitas, vt cauſam tanti remedij aeger cognoſceret, cum de tali nomine dubium non haberet. Sed inter alia loci ipſius bona, illud quoque ſtupendum eſſe didicimus, quod vna fluentorum natura diuerſis miniſterijs videatur accommoda. Nam protinus ſaxo ſuſcipiente colliſa inhalat*

halat primae cellulae ſudatoriam qualitatem: deinde in ſolum mitigata deſcendens, minaci ardore depoſito, ſuaui temperatione molleſcit. mox in vicinum producta, cum aliqua dilatione torpuerit, multo blandius intepeſcit. poſtremo ipſo quoque tepore derelicto, in piſcinam Neronianam frigida tantum efficitur, quantum prius ferbuiſſe ſentitur. non immerito auctoris ſui participans nomen collega eſt cum viriditate gemmarum. vt ipſa quoque vitrei elementi colore perſpicua quaſdam trementes vndas quieta commoueat. Sed vt ipſum quoque lauacrum mundius redderetur, ſtupenda quadam continentiae diſciplina, in vndam, qua viri recreantur, ſi mulier deſcendat, incenditur. propterea quod ipſis altera exhibitio decora collata eſt. ſcilicet, ne ardentium aquarum foecundiſſimum locum non crederent habuiſſe, vnde plurima largiretur, ſi vterque ſexus vno munere communiter vteretur. Haec perennitas aquarum intelligendi praeſtat indicium. per igneas terrae venas occultis meatibus, influentem intus, in auras erumpere excocti fontis irriguam puritatem. Nam ſi Naturae fuiſſet illud incendium, ſine interitu ſubſtantiae non fuiſſet admiſſum. Sed aquae materia ſenſibilis, ſicut peregrinum contraxit ignem, ſic iterum natiuum facile repetit algorem. Praeſtat & aliud adiutorij genus vis illa medicabilis. nam iuxta

caput fontis ſcintilloſi, quendam ſibi meatum prouida Natura formauit. Hinc deſuper ſella compoſita, quae humanis neceſsitatibus in abſidis ſpeciem perforatur, aegros ſuſcipit interno humore defluentes. vbi dum feſsi nimio langore conſederint, vaporis illius delectatione recreati, & laſſa viſcera reficiunt, & humores noxia infuſione grauatos, vitali ariditate conſtringunt. vt quaſi aliquo deſiderabili cibo refecti, valentiores queant protinus inueniri. Sic medicabili ſubſtantiae venit a ſulphure, quod calet. a ſalſedine, quod deſiccat. Talia poſteris non tradere, hoc eſt grauiter in longa aetate peccare. Quapropter antiqua illic aedificiorum ſoliditas innouetur. Vt ſiue in thermis, ſiue in cuniculis fuerit aliquid reparandum, te debeat imminente reconſtrui. Virgulta quoque, noxia importunitate naſcentia, euulſis ceſpitibus auferantur. ne radicum quidam capilli paulatim turgentes, fabricarum viſceribus inſerantur, & more vipereo prolem ſibi foecunditate contraria nutriat, vnde ſe compago caſura diſrumpat. Palatium quoque, longa ſenectute quaſſatum, reparatione aſsidua corrobora. Spatium, quod inter aedem publicam, & caput igniti fontis interiacet, ſyluestri aſperitate depurga. Rideat florenti germine facies decora campeſtris, quae etiam ardentis aquae fertilitate laetatur.

miroq;

Digitized by Google

miroq́ modo dum proxime ſalem generet ſterilem, nutriat pariter & vires. Sed non his tantum beneficijs Antenorea terra foecunda eſt. Infert & alia, quae multo grandius obſtupeſcas. Corda illa (vt ita dixerim) montium, in vicem ſecretarij, negotia contentioſa diſtingunt. Nam ſi quis forte pecus furatum pilis natiuis ſolito more ſpoliare praeſumpſerit, vndis ardentibus frequenter immerſum, neceſſe eſt, vt antea decoquat, quam emundare praeualeat. O vere ſecretarium, iure reuerendum. quando in his aquis non ſolum ſenſum, ſed etiam verum conſtat eſſe iudicium. & quod humana nequit altercatione diſſolui, fontium datum eſt aequitate definiri. Loquitur illic tacita Natura, dum iudicat, & ſententiam quodammodo dicit, quae perfidiam negantis excludit. Sed quis iſta conſeruare negligat, quamuis plurima tenacitate ſordeſcat? Siquidem ornat regnum, quod fuerit ſingulariter toto orbe nominatum. Et ideo pecunia, quae tibi data eſt, ſi opus non poterit implere ſuſceptum, quantum adhuc expendendum eſſe credideris, miſsis nobis breuibus, indicabis. Quia non grauamur expendere, vt tanta videamur ruris amaenia cuſtodire.

APONVS EX CLAVDIANO.

FOns, Antenoreae vitam qui porrigis vrbi,
Fataque vicinis noxia pellis aquis,
Cum tua vel mutis tribuant miracula vocem,
Cum tibi plebeius carmina dictet honos,
Et ſit nulla manus, cuius non pollice ductae
Teſtentur memores proſpera vota notae:
Nonne reus muſis pariter, Nymphiſque tenebor,
Si tacitus ſoli praetereare mihi?
Indictum neque enim fas eſt, tacitumque relinqui
Hunc qui tot populis prouocat ore loqui.
*A*lto colle minor, paruis erectior aruis,
Conſpicuo cliuus molliter orbe tumet.
*A*rdentis foecundus aquae, quacumque cauernas
Perforat, offenſo truditur igne latex.
Spirat putre ſolum, concluſa ſubter anhelo
Pumice rimoſas perforat vnda vias.
Humida flammarum regio Volcania terrae
Vbera ſulfureae feruida regna plagae.
Quis ſterilem non credat humum? fumantia vernant
Paſcua: luxuriat gramine cocta ſilex.
Et cùm ſic rigido cautes feruore liqueſcant,
Contentis audax ignibus herba viret.

Praeterea

Praeterea grandes effoſſi marmore ſulci
Saucia longinquo limite ſaxa ſecant.
Herculei, ſic fama refert, monſtratur aratri
Semita, vel caſus vomeris egit opus.
In medio pelagi late flagrantis imago,
Caerulus immenſo panditur ore lacus,
Ingenti fuſus ſpatio: ſed maior in altum
Intrat, & arcanae rupis inane ſubit.
Denſus nube ſua, tactuque immitis, & hauſtu:
Sed vitreis idem lucidus vſque vadis.
Conſuluit natura ſibi, ne tota niteret,
Admiſitque oculos, quo vetat ire calor.
Turbidus impulſu venti cùm ſpargitur aër,
Glaucaque fumiferae terga ſerenat aquae;
Tunc omnem liquidi vallem mirabere fundi,
Tunc veteres haſtae regia dona micant:
Quas inter nigrae tenebras obſcurus arenae
Diſcolor obruptum flumen hiatus agit.
Apparent intra latebrae: quas gurges opacus
Implet, & abſtruſos ducit in antra ſinus.
Tunc montis ſecreta patent, qui flexus in arcum
Aequora pendenti margine ſumma ligat.
Viua coronatos adſtringit ſaeua vapores,
Et leuis exili cortice terra natat,

Calca-

Calcaturque oneri numquam ceſſura virorum,
Suſtentat trepidum fida ruina pedem.
Facta manu credas: ſic leues circuit oras
Ambitus, & tenuis, perpetuuſque riget.
Haerent ſtagna loco, plenas aequantia ripas,
Praeſcriptumque timent exſiluiſſe modum.
Quod ſuperat, fluuius deuexa rupe volutus
Egerit, & campi dorſa recurua petit.
Deuehit exceptum natiuo ſpuma meatu:
In patulas plumbi labitur inde vias.
Nullo cum ſtrepitu madidis infecta fauillis
Deſpumat niueum fiſtula cana ſalem.
Multifidas diſpergit opes, artemque ſecutus
Qua iuſſere manus, mobile torquet iter,
Et iunctos rapido pontes ſubtermeat aeſtu,
Afflatoſque vago temperat igne tholos.
Acrius interius rauci cum murmure ſaxi
Spumeus eliſo pellitur amne vapor.
Hinc pigras repetunt feſſi ſudore lacunas:
Frigora quis longae damna dedere morae.
Salue Paeoniae largitor nobilis vndae:
Dardanij ſalue gloria magna ſoli.
Publica morborum requies, commune medentum
Auxilium, praeſens Numen, inemta ſalus.

Seu

Seu ruptis inferna ruunt incendia ripis,
　Et noſtro Phlegethon deuius orbe calet:
Sulfuris in venas gelidus ſeu decidit amnis,
　Accenſuſque fluit, quod manifeſtat odor:
Siue pares flammas vndarum lance rependens,
　Arbiter in foedus mons elementa vocat.
Ne cedant ſuperata ſibi: ſed legibus aequis
　Alterius vires poſſit vtrumque pati.
Quidquid erit cauſae, quocumque remitteris ortu,
　Non ſine conſilio currere certa fides.
Quis caſum meritis adſcribere talibus audet?
　Quis negat auctores haec ſtatuiſſe Deos?
Ille pater rerum, qui ſaecula diuidit aſtris,
　Inter prima poli te quoque ſacra dedit,
Et fragilem noſtri miſeratus corporis vſum
　Telluri medicas fundere iuſſit aquas,
Parcarumque colos exoratura ſeueras
　Flumina laxatis emicuere iugis.
Felices, proprium qui te meruere coloni,
　Fas quibus eſt Aponum iuris habere ſui.
Non illis terrena lues, corrupta nec Auſtri
　Flamina, nec ſaeuo Sirius igne nocet.
Sed quamuis Lacheſis lethali ſtamine damnet,
　Inde ſibi fata proſperiora petunt.

Quod ſi forte malus membris exuberat humor,
Languida vel nimio viſcera felle rubent:
Non venas reſerant, nec vulnere vulnera ſanant,
Pocula nec triſti gramine miſta bibunt.
Amiſſum lymphis reparant impune vigorem,
Pacaturque aegro luxuriante dolor.

D. HIERONYMVS.
epiſt. 2. tom. 1.

SEnectus vero rurſus eorum, qui adoleſcentiam ſuam honeſtis artibus inſtruxerunt, & in lege Domini meditati ſunt die ac nocte, aetate fit doctior, vſu tritior, proceſſu temporis ſapientior, & veterum ſtudiorum dulciſsimos fructus metit.

FINIS.

SYLLA-

Digitized by Google

SYLLABVS.

A

ADdua. 147.
Aegletes Apollo. 70. 71.
Aegira merſa. 247.
Aegyptus vt continens facta. 12. 13.
Aeneſes inſulae. 94 95 96. 97. 98. 99.
Aëre tellus ambitur. 23.
Alpheus. 130. 131. 132. 133. 134. 135. 136.
Amaranto, non Garamante. 176.
Anaphe. 70.
Ancora in montibus ſummis. 8.
Antacaei. 192.
Antandria. 279.
Antiſſa. 10.
Apollinis templum. 70. 71.
Apuſcidanus lacus. 156.
Α'ποσφαιρῶυ. 151.
Aquae grauitas. 118. 119.
Aquae leuitas. 153. 154.
Aquis terra cingitur. 16. 17.
Aqua principium rerum. 1.
Aqua inſaniae effectrix. 260.
Aquae oculis vtiles, noxiae. 261. 262.
in Aqua mirae carbones indolis. 271.
Aquam vino Bacchus vertit. 257.
quibus Aquis lapideſcant iniecta. 268. 269 270.
Aqua, ſi clamas, citatior. 277.
Aquis tauri, oues albeſcunt. 272.
nigrant. 273.
Aqua dulcis, & ſalſa ab eodem principio. 276.
Aquis fax accenditur. 278.
Azaniae fons facit abſtemios. 254. 255.
Athamas, Athaman. 278.
Atlanticae magnitudo. 245. 246. 249 250.
Atlanticae decem. 259.
Aquiſcinctus olim inſula. 225.
Aradus. 164. 166.
Arar. 143.
Arborum tranſmotio. 89. 90.

Ardeam propter terrae fluctantes. 101.
Arethiſſa. 118. 158.
Arethuſa. 132.
Argenteus in Braſilia fluuius. 146.
Argo. 41.
Aridae fluuij. 11.
Arſanias. 126.
Arna. 145.
Arundines fiſſae, naues. 74.
Arundo. 73.
Aſcania. 193.
Aſphaltitis lacus. 121.
Aſtaces. 274.
Aſteria. 60. 61. 62.
Automate inſula. 232.

B

Baiae Venereae. 259. 260.
Bitumen. 120.
Boryſthenes. 153. 154. 176.
Bourgetio in lacu nat inſula. 101. 102.
Braſiliae fluuius argenteus. 146.
Bura. 247.
merſa. 12.
Buxus cur minime natet. 116.

C

Caecubus ager. 82.
Calaminae. 81.
Calentum. 114.
Calliſte. 231. 232.
Carrinenſes inſulae. 122.
Caſius mons. 10.
Caſpium mare dulce. 166.
Characatae vineae. 73.
Characia arundo. 73.
Characometes. 151.
Chelidoniae. 164. 165.
Chemmis. 76. 77.
Chephiſſus albat oues. 273.
Cheueluto in lacu nat inſula. 101. 102.
Chij fons inſipientiae parens. 261.
Chlamydia. 65.
Choaſpes. 154.
Chriſtus aquis inambulans. 108.
Cimmerij vbi. 54. 55.
Ciſſuſa fons inebriat. 256.
Cleſpſydrae. 155.
Clitorius facit abſtemios. 255.
Clitumni aquis quae albeſcant. 273.
Cochryna. 279.
Commotia nympha. 79.
Conchulae in montibus. 7.
Crates fluuius. 171.
Cratis. 264.
Cutiliae. 77. 78.
Cyaneae. 41.
an ſint. 42. 43.
quid ſint. 44. 45. 49.
vbi. 53.
Cyclades. 59.
Cynaethus. 65.

Cynthia inſula. 60.
Cynthus, Cynthia. 64.
Cyzici fons Veneri inimicus. 260.

D

DAnubius. 178.
Delos commendata. 59. 60.
vnde nomen. 63.
paeninſula. 69.
mobilis immobilis. 67.
Dentes ab aqua cadiui. 263.
Dordracum olim Brabantiae pars. 225.
Dubia inſula. 69.
Dyraſpes. 172.

E

EBenus cur mergatur. 116.
Erganes inebriat. 256.
Endhouiam propter terrae nantes. 103.
Ε᾽ποςρακισμός. 159. 160.
Eurotas, Eurotos. 129.
Eurotas etiam Titareſius. 124.
Euthymenes contra Senecam defenſus. 163.
Euxinum mare. 171.
Exſpatians lacus. 74.

F

FAbula quid. 240.
Fluuij plurimi in Pontũ. 171.
Foſſilis ſal marino praeſtantior. 200.
Foſſiles piſces. V. Piſces foſſiles.

G

GAditano in freto dulces aquae. 164.
Galli aqua in furorem agit. 260.
Gangama. 192. 193.
Geronſteri fons inebriat. 258.

H

HAlys. 174.
Helice. 12.
Heracleae foſſiles ſunt piſces. 195.
Ι᾽ςία. 24.
Himera. 277.
Hypanis. 173.
Hypanus. ibidem.
Hyrcanum mare an idem Caſpio. 166.

I

ILliberis fluuius. 189.
in India terrae nantes. 103.
Inſula Dubia. 88. 89.
Inſulae deuoratae, in auras redditae. 233. 234. 235.
Inſulae vnde appellatio. 48.
Inſulae euadunt paeninſulae. 9. 10.
Iſter. 179.
Iſthmi. 227.

L

LAc nigrum vbi. 274.
Lapis Scyrius cur fluctuetur integer, cur mergatur comminutus. 18.
Lateres nant. 112.
Leuioris aquae quae cauſa. 156.
Leuitatis aquarum ſigna. 155. 154.
Ligna quae natant aut merguntur. 115. 116.
Loryma. 191.
Lucanus laudatus, improbatus. 128.
Ludiae inſulae. 81.
Lycus. 172.
Lynceſtis aqua inebriat. 255.

M

MAeotis aquae dulces. 169.
dulciores Ponti aquis. 169
eam petunt fluuij perplurimi. 171. 172.
Magdalis fluuius. 146.
Maris termini. 30. 31.
Maris cuiuslibet vnda dulceſcit. 183.
Maſſia. 114.
Melanthus fl. 172.
Melas fluuius. 139.
Mõtes montib. concurrunt. 46.
Montes ſalis. 202.
Montes montibus impoſiti. 38.
Montium tranſmotio. 47. 90. 91.
Mouit terra. 66.
Mutationes rerum. 4. 5. 6. 7. 9. 237. 238. 239.

N

NAtantium terrarum cauſae. 148. vſque 163.
Νάου appellatio vnde. 41.

O

OLeaginoſa aqua. 148. 149. 150. 151.
Oliueti tranſmotio. 90.
Orchomenius lacus. 72.
Ortygia, Ο'ρ[illegible]υγομήτρα. 64.

P

PAdus. 158. 159.
in Paphlagonia piſces foſſiles. 189. 193. 195.
Paphlagonia. 255. 256.
Parthenius. 174. 175.
Peneus. 128.
Periurij vindices aquae. 264. 265
Pharos. 9. 10.
Phaſis. 155. 175.
Phinthiae fons. 156.
Phlegraei campi vbi. 55.
Pinguis aqua. 148.
Pirenes fons. 155.
Piſces foſſiles vbi. 187. 188. 189. 190. 191. 192. 193. 197. 198.
Piſces vbi per prata ambulēt. 197.

Piſces Pontum amant. 170.
Piſcium pluuia. 199.
Piſculi in viſceribus ſaxorum. 196.
Pithana. 112. 113.
Planctae, Plotae. 41. 56.
Plinius reiectus. 279.
Plotia arundo. 73.
Ponticum mare dulce. 167. 170. 181.
qua ex cauſa. 168. 180.
Priſcianus refutatur. 169. 170.

R

RAdices vbi terras in aquis ſuſpendant. 111. 112.
Rhegium. 221. 222. 239. 240.
Rhodanus. 142. 143.
Rhodus. 233. 252.
Roma rus. 5.
Rubreſus. 188.
Ruſcino. 188.

S

SAgaris. 173.
Sal venenum. 209.
Sal terrae. 202. 203. 204. 205. 206. 207.
Sal diuina res. 206.
Sal Frugifer. 208. 209.
Sal purpureus. 203. 204
Sal e carbonibus. 213.
Sal aedificationi aptus. 214. 215.
Sal recreſcens. 213. 214.
Salis commendatio. 200. 201.
Salmacis vnda Veneris lena. 258. 259.
Salſulae. 93.
Saltuares. 81.
Scelotyrbe. 264.
Sicilia ab Italia diuulſa. 223. 224.
Siculae telluris indoles. 219.
Side. 156.
Silari quae lapideſcunt. 267.
Siluae ambulantes. 102.
Stomocace. 264.
Strabo confutatus. 135. 136. &c.
Suero. 105.
Symplegades. 50
earum concurſus. 51. 53.

T

TAttaeus ſal mirus. 205. 206
Tanais. 177.
Temulentia quibus ex aquis. 256.
Terras nare qui negauerint. 6. 7.
Terra inſula. 17.
Terrarum nantium cauſae. 106.
Terra punctum. 37.
an moueatur. 23. 33. 34. 35. 36.
vt pendeat. 15. 23. 24. 25.
non ſe fundat. 25. 26.
tota olim terra inundatur. 19. 20.
Dei virtute continetur. 19. 20. 28. 29.
aquis cincta. 16.

princi-

principium rerum. 1.
Terrae motu vno reddi oculis, quod alius terrae motus ſorbuerat. 12[illegible]
Thera, Theraſia. 230. 231.
Thermodon. 170. 175.
Thia. 231.
Thonitis. 126.
Thoſpites. 126.
Tigris. 125. 126. 158
Titareſius Peneo illabitur impermiſtus. 127.
Τõυ Tornauit, elegantia. 18.
Τρέμων. 69.
Tyras fluuius. 175.

V

Vadimonis lacus. 85. 86. 87.
Vibius Sequeſter emendatior. 176.
Vrbium tranſmotio. 90. 91.

X

Xantho rufeſcunt animalia. 274.
χηροὺς λόφους, non γηροὺς. 156.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 57. vltimo, punge. pag. 100. ſcr. 110. pag. 110. limus, non linus. pag. 112. ſigna ſcr. ſiqua. pag. 146. Lemano non Lemana. pag. 164. ξυραϐικὸν ſcr. ξη. pag. 166. aſpium ſcr. Caſpium.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google